Imprimatur,

Jul. 12.
1678.

Guil. Sill. R. P D.
Hen. Ep. *Lond.* a
Sacris Domeſt.

Imprimatur,

Jul. 12.
1678.

Guil. Sill. R. P D.
Hen. Ep. *Lond.* a
Sacris Domeſt.

Explicatio Literalis

CANTICI CANTICORUM

EX

Ipsis Scripturarum fontibus,

HEBRÆORUM

RITIBUS & IDIOMATIS,

Veterum & recentiorum Monumentis eruta,

Operâ & Studio

Caroli Mariæ de Veïl, S. T P.

Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteri.

JOAN. 5. v. 31.

Scrutamini Scripturas.

Zephirinus Papa Epist. ad Episcopos Sicilienses apud Grat. dist. 38.

Sicut stellas Cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium & inhærentes firmamento S. Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

LONDINI.

Typis *T. H.* Impensis *S. Carr*, ad insigne *Capitis Regis* in Cœmetrio D. *Pauli*, 1679.

1996:01

Illustrissimo & Nobilissimo Viro
DOMINO D.
JOSEPHO WILLIAMSON
EQUITI AURATO,
REGI
AB OMNIBUS CONSILIIS ET SECRETIS
REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS
PRÆSIDI NERITISSIMO,
INGENIO PRÆSTANTI, ET ERUDITIONE PERFECTA
ORNATO,
JUDICIO ACRI, ET MEMORIA ADMIRABILI
PRÆDITO,
INDUSTRIA IN AGENDO, CONSILIO IN PROVIDENDO
UT
STUDIO ET FIDELITATE
IN
RELIGIONEM, REGEM, REMPUBLICAM
NULLI SECUNDO,
SUMMO LITERATORUM FAUTORI,
LITERARUM SCIENTIÆ ET
ELOQUENDI ELEGANTIÆ,
AMPLIFICATORI
Hoc qualecunque opusculum dicat, vovet, ac consecrat inprimis addictus, deditus, & obstrictus

Carolus Maria de Veïl

PROOEMIUM.

Canticum Canticorum explanandum ſuſcepturus, uſus ſum inſtituto meo, ut tum ex Sacrarum Literarum fontibus ipſis, tum ex aliorum veterum & recentiorum quaſi rivis haurirem quicquid ad illuſtrandum ſenſum Literalem attinere mihi videretur. Eſt autem in hoc Sacro dramate Literalis ſenſus duplex; nempe materialis, ſive rei geſtæ inter ſponſum & ſponſam quæ per parabolam ſtylo bucolico inducitur; tum etiam ſpiritualis quem Spiritus-Sanctus ſignificare voluit perpetuâ quâdam allegoriâ declarans mutui Chriſtum inter & Eccleſiam amoris aculeos, locutionibus ad noſtras dicendi formulas accommodatis; primus ſenſus dicitur grammaticalis, ſecundus vocatur realis; ille eſt cortex, hic medulla inde eruenda, niſi velimus iis eſſe ſimiles, qui negligentes hiſtoriam in tabella depictam ſolis ſe coloribus oblectant, nihil in hoc Cantico Canticorum præſtan-

præstantissimo divini esse, sed profanis omnia plena voluptatibus, sententia erat Theodori Mopsuestani, damnata in synodo Constantinopolitana II. *Collat.* IV. *Hanc hæresin renovarunt Anabaptistæ, nescientes perpendere Dei benignitatem et misericordiam, qui ut nos ad sacrum ipsius amorem vividiùs excitet, usque ad carnalis amoris verba sese inclinat. Nihil in hoc sacro Epithalamio, quod sanctum, castum, pudicum, et immaculatum non sit; sed ignitum eloquium capere non potest cor algidum, & lingua divini amoris ei, qui cœlestem animarum sponsum, omnis castimoniæ magistrum medullitùs non amat, barbara erit. Hinc Philo Carpathius,* Quicunque omni occasione carnis præcisâ, remotisque atque depulsis illecebris voluptatum, mente tranquillâ, corpore castus, & animo, temperantiæque viribus vallatus erit, is Cantica Canticorum intrepidè adire potest. *Quia verò in hoc nuptiali carmine paleæ frumentum tegunt, cavendum inprimis duxi, ne sic belluarum instar paleis immorarer, ut frumentum electorum & rationalem cibum quærere, vel tantisper desisterem. Atque ita mea commentatio sic distribuitur, ut subjecta verbis sententia dilucidetur, & mysticus Christi Jesu sponsi, atque Ecclesiæ sponsæ dialogus, exponatur quàm fieri potest accuratissimè.* Siquis autem, *ut Hieronymi verbis in* Mich. 2. *utar*, in Lege Domini die ac nocte meditatus, majus habuit

Studium,

Proœmium.

Studium, majus ingenium, otium, gratiámque, & poteſt de *Cantico Canticorum* probabilius aliquid dicere, non invideo, non aſpernor, quin potiùs cupio ab eo diſcere quod ignoro, & libenter me diſcipulum profitebor, dummodò doceat, & non detrahat ; nihil enim tam facile, quàm otioſum & dormientem de aliorum labore ac vigiliis diſputare. *Idem dictum volo de aliis ſcripturæ libris quorum Literalem explicationem, vel jam typis mandavi, vel deinceps, Deo juvante, ſum mandaturus.*

Explicatio

Explicatio Litteralis

CANTICI CANTICORUM

SALOMONIS.

Salomon Bethsabee ex quatuor filiis postremò genitus à patre suo David *Rege post annos imperii tres supra triginta regni hæres decernitur impulsu Nathanis Prophetæ. Adhuc adolescentem* Sadoc *ungit, rejecto ipsius fratre* Adonia, *qui se Regem jactabat. Tantam à Deo in somnis obtinet sapientiam, ut sciat dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa & improvisa. Templum juxta traditam à patre constructionis ichnographiam, & Regiam condere incipit, illud absolvit annis septem: hanc tredecim. Templi dedicatio inchoata die octavo mensis septimi, in illudque postmodum arca illata. Hiramo Tyri Regi transfert viginti Galilææ oppida, velut honorarium pro lignis & operariis, quos ad extruenda Templum & Regias domos miserat. Pharaonis filiam ducit, & urbem ultimam Chananæorum Gazer in dotem accipit. Ex quo totam Promissionis Terram possident Israëlitæ, annis quadringentis quinquaginta post inceptam à Josue Terræ divisionem. Regina Sabæorum Arabiæ, adeòque terrarum extima occupantium ad Oceanum & mare Rubrum, ex urbe sua metropoli Saba, quæ & Mariaba, venit ad Salomonem ipsius auditura sapientiam. Hæc Regina vocatur à Geographo Nubiensi Clim. 1 part. 6.* Belkis, *à Rabbi Abraham Zaccuth Salmanticensi in libro* יוחסין, genealogiarum, *ad annum* 1502. *Scripto fol.* 136. *editionis Cracoviensis An.* 1580. *appellatur* Nicolaa. *Christus hanc nuncupat Reginam austri, quia quod Hebræis regnum Saba, & Romanis scriptoribus Arabia aromatifera, hoc Arabibus* Jeman, *& cum articulo* Aljeman, *ut videre est loco laudato Geographi Nubiensis, in Itinerario Rabbi Benjamin, Juchasin fol.* 14. 135. *& 139. Aben-Ezra in Dan.* 11. v. 6. *&c.*

v. 6. &c. *Ut autem* ימין jamin *Hebraicè, ita* ימן jeman, *& cum articulo* אלימן aljeman *auſtrum ſonat.* Secundæ res quæ ſapientium animos ſatigant, *ut loquitur Aug. lib.* 17. *de Civit. c.* 20. magis Salomoni obfuerunt, quàm profuit ipſa ſapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & longè latéque laudata. *Nimirum divitiæ ducunt Salomonem ad delicias, deliciæ ad inſatiabiles libidines, quas ut expleat contra præceptum Domini Exod.* 34. *v.* 16. *& Deut.* 17. *v.* 17. *ſeptingentas uxores, concubinas trecentas undique accerſit, à quibus ad idola ſenex converſus, ne amaſias offenderet, illis templa miſer extruit.* Fecit, *inquit. Aug.* 11. *de Geneſi ad literam cap.* 42. quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas, quibus deperibat atque diffluebat, delicias contriſtaret. *Annos quadraginta Mortalium ſapientiſſimus & opulentiſſimus, ſi tantæ gloriæ libidinis maculam non intuliſſet, regno perfunctus, vitâ defungitur, actâ pœnitentiâ, ut colligitur ex* 2 *Sam. ſeu Reg.* 7. *v.* 12, 13, 14, 15. *&* 16. *&* 2. *Paral.* 11. *v.* 17. *Ex omnibus libris à Salomone conſcriptis, quorum meminit Scriptura* 3. *Reg.* 4. *v.* 32, *&* 33. *& Joſephus* 8. *Antiq.* 2 *nunc extant tantummodò tres, de quibus nulla eſt dubitatio quin illius ſint, nempe liber Proverbiorum, Eccleſiaſtes, & Canticum Canticorum. Ex mente S. Bernardi Serm.* 1 *in Cant. in Proverbiis pellitur ſuperfluus amor ſui, in Eccleſiaſte vanus amor mundi, in Cantico Canticorum præſcribitur caſtus amor Dei. In Proverbiis, ait Paphnutius Abbas apud Caſſianum Collat.* 3. *c.* 6. Concupiſcentiæ carnalium rerum ac terrena vitia reſecantur; *in Eccleſiaſte* univerſa quæ aguntur ſub ſole vanitas pronuntiantur; *in Cantico Canticorum* mens viſibilia tranſcendens Verbo jam Dei cœleſtium rerum contemplatione conjungitur; cùm totus *hic liber qui* Canticum Canticorum *inſcribitur*, amores ſanctos Chriſti & Eccleſiæ figuratâ locutione commendet, *&* prophetica pronuntiet altitudine, *ut loquitur B. Aug. in Speculo.*

Grande ſacramentum, quo nubit Eccleſia Chriſto,
Et ſimul eſt Domini ſponſa, ſororque ſui.
Hinc ſoror & conjux, quoniam ſine corporis uſu
Mente coit, cui vir non homo, ſed Deus eſt.

B. Paulinus Epiſcopus Nolanus.

CANTICUM

CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS.

QUod ex Hebræis pro primo versu Lxx. reddidere, hoc Vulgatus rejecit in titulum hujus libelli, *qui ſpecie Dramatis ordinatus*, ut loquitur Hieron. *perſonarum imitatione contexitur*. Mirificè autem Regum ſapientiſſimus Salomon divinitùs inſpiratus Chriſti ſponſi & Eccleſiæ ſponſæ laudes, ſacri amoris gratiam & æterni commercii cecinit Sacramenta ſub perſona paſtoris, aſt Regio ſanguine procreati caſtam puellam congenerem ſibi deſponſatam maximè, ſed caſtè adamantis. Unde libellus hic vocatur *Canticum Canticorum*, id eſt, Canticum excellentiſſimum, quo nihil ſuavius, nihilque divinius. Quia verò pluribus conſtat odis, inſcribitur à benè multis *Cantica* in plurali.

CAPUT PRIMUM.

Sponsa loquitur primò sola intra se, dein occurrentem sponsum alloquitur.

1. OSculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino,

2 Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te.

3. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5. Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

EXPLICATIO.

1. *Osculetur me osculo oris sui.* Heb. ad verbum, *osculetur me ex osculis oris sui*, in quo locutionis genere præpositio videtur, ut sæpe aliàs, separationem denotare; quasi diceret Osculetur me osculo illo exoptato, quod, ut Bernardus loquitur, *matrimonii signum & initium est.* Sic Ecclesia sub Lege jam diu promisso sibi per Prophetas Dominico adventu, cùm moras ejus diutiùs ferre non possit, rogat ut citò veniat per incarnationis mysterium, quo non jam quasi desponsata, sed quasi nuptæ intimè uniatur & adhæreat Deo Verbo; ut enim ait Greg. Mag. Hom. 38. in Evang. *In hoc Pater Regi Filio nuptias*

tias fecit, quo ei per incarnationis myſterium ſanctam Eccleſiam ſponſam ſociavit. Porrò nemo neſcit in deſiderio matrimonii honeſti & liciti nihil eſſe, quod dedeceat puellam jam deſponſatam, maximè ſub Lege viventem, cujus tempore fides in Chriſtum ſecundum carnem naſciturum, pleroſque juſtos ad conjugium incendebat. Inducit itaque Salomon in hoc cantico (quod unum ex mille & quinque ab ipſo compoſitis, ut dicitur 3 Reg. c. 4. v. 32. habet authoritatem & eſt in Canone Scripturarum divinarum apud Hebræos & Chriſtianos) puellam amantem jam pridem deſponſatam diuturnioris nuptiarum dilationis impatientem, quæ vix ſuam impatientiam verbis teſtata percipit ſponſum caſtè quidem, ſed ardenter amatum, quem ſtatim alloquens, ipſi impatientiæ cauſam & vehementis nuptiarum deſiderii rationem ſimpliciter & candidè, ut paſtoritiam puellam decet, aperit dicn, ; : *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* Hæc eſſe verba ſponſæ ad ſponſum, non verò ſponſi ad ſponſam, præter literæ ſeriem & connexionem indicat pronomen *tua*, quod in veritate Hebraica eſt affixum maſculini generis. Senſus autem eſt idem ac ſi diceret, Idcirò tibi jamjam matrimonio jungi tantoperè expeto, quia ſuaviores ſunt blanditiæ tuæ quibuſvis lautitiis. Sic Eccleſia dicit vileſcere ſibi omnes delectationes & jucunditates præ ſuavitate ineffabili cœleſtis ſponſi in ſe amoris.

Duplex eſt hîc Hebraiſmus. Primus eſt in voce *ubera*, quæ idiotiſmo Hebræis familiari hîc blanditias ſeu amores ſignificat, quia ubera ſunt amoris illices, & quia cor, quod amoris eſt ſedes, uberibus quaſi ſtipatur & continetur. Sic Ezech. 23. v. 17. *Cubile mammarum*, id eſt, amorum, ſeu amoris. Prov. 5. v. 14. *Ubera ejus inebrient te in omni tempore*, id eſt, ut ipſe Salomon interpretatur ibidem in altero mox ſequenti hemiſtichio, *in amore ejus delectare jugiter.* ibidem c. 7. v. 18. *Inebriemur uberibus*, id eſt, amoribus, quomodo interpretantur Helleniſtæ & Chaldæus. Licèt ergo ubera in primitiva ſignificatione non ſoleant tribui viro, unde nec infrà c. 5. hujus præſtantiſſimi cantici inter ſponſi membra enumerantur; aptè tamen in præſenti verſiculo tribuuntur ſponſo in metaphorica & tralatitia ſignificatione amoris & blanditiarum. Sic in metaphorica ſignificatione tribuuntur & alia quæ mulierum ſunt Deo & viris paſſim in ſacris Eloquiis, putà *lactare* Eſa. 60. v. 16. Oſe. 2. v. 14. *parturire* Eſa. 46. v. 4. Gal. 4. v. 19. *ex utero gignere* pſ. 109. v. 3. &c.

Alter Hebraiſmus præſentis verſiculi eſt in voce *vino*, quæ hîc, ut & alibi paſſim ſumitur phraſi Hebraicâ pro quovis delectabili, ſeu deliciarum genere, ut obſervant Rabbini; quem-

admodum *panis* eodem idiotismo sumitur pro quibusvis vitæ necessariis, quo sensu in oratione Dominica, quæ, *quantùm substringitur verbis, tantùm diffunditur sensibus*, ut ait Tert. de Orat. dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nec incongruè eriam dixeris amoris & blanditiarum bonitatem passim in hoc sacro Dramate cum bonitate vini veri & propriè dicti conferri, quia & amoris & vini bonitas in suavitate & fortitudine sita est.

2. *Fragrantia unguentis optimis.* Id est, odor tuus præstat odore ex oprimis aromatibus exhalante. Est autem *fragrantia* hic nomen fœminini generis sonans suaveolentiam, & respondens Hebræo רֵיחַ *Reach*, non verò participium plurale, quod etiam plus satis indicat versuum distinctio.

Oleum effusum. Id est, ficut oleum nulli vasculo inclusum longè latéque serpit.

Nomen tuum. Q d. Sic famæ tuæ longè latéque spirat fragrantia.

Ideò adolescentulæ dilexerunt te. Id est, fama tua bona ubique sparsa, vel ipsarum adolescentularum (quæ Heb. dicuntur עַלְמוֹת *Alamoth*, quia quoad fieri potest latitant, ne oculus viri, maximè externi ipsas videat) animos in tui amorem rapit. Sic Ecclesia dicit, tam longè latéque diffundi famam cœlestis sui sponsi, ut gentes, quæ vix ipsum nosse cœperint, in ipsius amorem rapiantur.

3. *Trahe me.* Supple, ad te, ut quantocyùs tibi, à quo separata vivere nequeo, arcto jungar amplexu, & indissolubili matrimonii vinculo adhæream. Ardens suum accelerandarum nuptiarum desiderium sponsa exprimit, dum trahi à sponso in uxorem appetit, ne si vulgari more duceretur, ductus ille aliquam parvam moram nuptiis afferret.

Post te curremus. &c. Q. d. Tam suaviter fragras, ut velimus ego & adolescentulæ comites meæ te gressu quàm velocissimo sequi, quocumque ieris.

In odorem unguentorum tuorum, Hæc verba in textu Hebræo subaudita, suppleverunt Interpretes Hellenistæ & Vulgatus.

Introduxit me Rex in cellaria sua, &c. Hebraicè, ad verbum, *introducat*, &c. Sensus est q. d. Etiam si introduxerit me Rex aliquis in ipsa penetralia thesaurorum suorum, non tantùm gaudii & voluptatis inde accedet, quantum ex tui fruitione accedit mihi & comitibus meis, nec unquam obliviscemur amores seu blanditias tuas esse quibusvis deliciis suaviores.

Recti diligunt te. Id est, quotquot sunt æqui rerum æstimatores, tot habes tui amatores. Ecclesia illecta cœlestis sponsi famâ veluti fragrantis cujusdam unguenti bono ac suavi odore optat non more solito duci uxorem sed trahi, ut quantocyùs

spirituali

ſpirituali cum ſponſo conjugalis usûs dulcedine perfruatur. Addit paratam ſe cum omnibus gentibus ſponſum adamatum velociſſimo greſſu ſequi, ita ut nullis rerum creatarum oblectamentis ab ipſius fruitione avocari poſſit, memor adeò cœleſtis ſponſi ſuavitatem præſtare maximis quibuſque deliciis creatis, ut qui ejuſdem ſuavitatis amore non rapitur, perverſum habeat judicium neceſſe ſit. Obiter hîc adverte gratiæ efficacis cum humana libertate combinationem. Trahit nos Deus, cùm infirmiſſimæ voluntati noſtræ gratiam medicinalem, efficaciſſimam, & vorticordiam adhibet; quo autem fortiùs trahit, eò ſuaviùs & liberiùs currimus.

4. *Nigra ſum, &c.* Q. d. Colorem meum ioſuavem abundè compenſat elegans ac venuſta totius corporis, membrorúmque ſingulorum figura, & diſpoſitio. Poteſt verti ex textu Hebræo, *fuſca ſum, ſed expetita.* Sic Eccleſia licèt nigra peccatis, decora tamen eſt fide ſuâ in eum qui populum ſuum a peccatis eorum ſalvum eſt facturus.

Filiæ Jeruſalem. Sacrorum horum bucolicorum ſcenam exhibet Salomon in montibus & convallibus civitatis Jeruſalem; unde ſponſa hîc inducitur filias Jeroſolymitanas amatoriis ipſius exceſſibus quaſi attonitas alloquens. De etymo nominis Jeruſalem egimus in commentario noſtro in Mat. 2. v. 3.

Sicut tabernacula Cedar. Id eſt, juxta Chaldeum paraphraſten, ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Cedar: immò ut Cedrei, qui & Cedareni, ſeu Cedranitæ dicuntur, & Arabiam felicem incolunt, nomé: que habent à parente ſuo Cedar ſecundo Iſmaëlis filio. Sonat autem Cedar Hebraicè fuſcum, qui ferè Arabum color eſt, quia ſunt à ſole aduſti, quales propriè dicuntur Cedarim. Unde eſt quod Job c. 30. v. 28. queritur ſe קדר *Cedar*, id eſt, fuſcum ambulaſſe quamvis à ſole intactum, ut luctum in ſe doceat idipſum omninò præſtitiſſe, quod in aliis ſolis aduſtio.

Sicut pelles Salomonis. id eſt, ſicut tapetia Salomonis, cujus ſupellex omnis pulcherrima. Porro ordo præſentis verſiculi eſſet, *nigra ſum ſicut tabernacula Cedar, ſed formoſa ſicut pelles*, ſeu *tapetia Salomonis.* Sed hæc tranſponuntur per figuram, qualis χιασμός. Similis Metathefis occurrit Joel. 1. v. 11. & 12. in his verbis. *Confuſi ſunt agricolæ, ululaverunt vinitores, ſuper frumento & hordeo, quia periit meſſis agri. Vinea confuſa eſt, &c.* ubi ordo eſſet: *Confuſi ſunt agricolæ ſuper frumento & hordeo, quia periit meſſis agri; ululaverunt vinitores, quia vinea confuſa eſt.*

5. *Nolite me conſiderare.* Heb. ad verbum, *ne videte me*, id eſt, ne deſpicite me. Sic Job 41. v. 25. de Leviatan, id eſt, de crocodilo, dicitur *Omne ſublime videt*, id eſt, deſpicit ea animalia, quibus corpus procerius eſt, & longiora crura, quorum adminiculo

eriguntur in sublime. Ut ut enim sese efferant, eorum maxima quæque uno ictu caudæ prostrata nullo negotio jugulat & dilacerat crocodilus, ut videre est apud Horum lib. 1. Hieroglyphicorum c. 67. Petrum Martyrem Legat. Babylonic. lib. 3. Dalechampium Historiæ plantarum lib. 18. c. 99. &c.

Fusca. Heb. שחורה, quod non est *subfusca*, ut multi volunt, sed *valdè fusca*, qualem se fatetur esse sponsa, quia sol illam exusserat, dum custodiebat vineas. Literarum quippe radicalium in vocibus Hebræis geminatio non minuit vim vocis, sed intendit, ut apud nos superlativus gradus.

Filii matris, &c. Q. d. Cùm vineam meam custodiendo, libera essem à solis ardore, fratres mei coëgerunt me, ut relictâ vineâ meâ custodirem vineas aliorum, in quibus dies, noctésque sub dio agens, æstu gelúque adurebar. Rogat Ecclesia ne despiciatur ob nigrorem contractum, dum æstu Libidinis abrepta, vineam Legis sibi à Deo traditam non custodivit, studio placendi hominibus.

6. *Indica mihi, &c.* Id est, verùm, ô sponse dilectissime, haud ægrè omnium præteritorum malorum, quanta quanta sunt, oblivisear, dummodo indices mihi ubi te invenire possim, ut tuo fruar amplexu.

Ubi cubes. Heb. *recubare facias*, supple, gregem tuum.

In meridie. Id est, sub meridiem. Solebant autem pastores in calidis regionibus pecora horis meridianis ad umbram & aquas subducere, ne lac per æstum corrumperetur, & ipsa pecora in periculosos morbos inciderent. Vide Virgilium Georgic. 3. Hinc & illud Menalcæ apud eundem Eclog. 3.

Cogite oveis pueri, nam si lac præceperit æstus,
ut nuper, frustrà pressabimus ubera palmis.

Ne pagari incipiam, &c. id est, ne incerta ubi sis, dum te quæro, ut vaga circumire cogar per singulas sodalium tuorum caulas cum dedecore & probro. Ecclesia Sollicita quærit ab ipso sponso ubi cum ovibus meridietur, seu degat in clara & orthodoxa fidei luce. *Non enim*, ut ait. B. Leo Ser. 5. de Nativit. Domini, *in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & magni laboris est, magnique discriminis inter dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates, per unam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & cùm undique*

se

se laqueï erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere. Præclarè autem B. Ambros. lib. 4. hexaëm. cap. 5. *Meridies*, inquit, *præsentis seculi Ecclesia, est, ubi justitia splendet, ubi fulget judicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur.*

Sponsus.

7. SI ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.

8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

EXPLICATIO.

7. *Si ignoras te.* Heb. ad verbum, *si non cognoscis tibi*, seu, ut vertit Munsterus, *si ignorans es apud te.* Sensus est, si domi apud te manens detegere ubi pascam & recubare faciam gregem meum in meridie non potes.

Egredere. Supple, extra domum & civitatem.

Abi post vestigia gregum. Id est, insiste vestigiis per greges relictis.

Et pasce hœdos tuos (Heb Capellas tuas) *juxta tabernacula pastorum tuorum.* Id est, & inter pascendum hœdos tuos, ne recedas à tabernaculis pastorum, & invenies me meridiantem cum ovibus meis. Itaque si Ecclesia in detegendis veris fidei & morum dogmatis aliquâ difficultate laborat, insistat oportet vestigiis Patriarcharum, nec recedat ab eorum doctrinâ, ad quos sermo Dei factus est.

8. *Equitatui meo, &c.* Sponsæ decor commendatur. Q d. Decor tuus, ô sponsa mulierum pulcherrima, mihi videtur non absimilis Regiis illis equis curulibus, mihi ex Ægypto adductis. Hic satis indicat Salomon, Regiæ suæ dignitati in hoc sacro bucolico

colleo carmine paſtoralem perſonam acceſſiſſe, non ſucceſſiſſe.

In curribus Pharaonis, Id eſt Regiis. Pharao enim; teſte Joſepho, Ægyptiis ſonat principem. Licèt autem, ut dicitur 2. Paralip. 9. v. 16. equi Salomoni veniſſent ex Ægypto & omnibus terris, tamen hoc ipſo, quod ibidem fit Ægypti mentio ſpecialis, docetur pleroſque ipſius equos ex Ægypto veniſſe; quod etiam colligitur ex 3. Reg. 10. v. 28. & 29. 2. Paralip. 1. v. 16. & 17.

9. *Pulchræ*. Id eſt, ornatæ. Comparat ſponſus varium ſplendorem gemmarum ſponſæ genas adornantium cum plumis turturum, quæ circa collum ad ſingulas converſiones colorem mutant, ſicut & plumæ verſicolores columbæ. Neque obſcurum eſt, quomodo gemmis ornentur genæ, nempe ſi ex auribus pendeant, aut ſi inſpergantur mitrarum redimiculis, id eſt, latis faſciis, quæ per malas productæ, mento ſubligabantur.

Sicut turturis Scilicet plumæ, non verò genæ; nam ut ait Philoſophus lib. 2. de partibus animalium c. 16. *Avis pro malis id habet, quod roſtrum vocant.* Fruſtrà Ovidium objeceris reliquas aves invitare ad genas lacerandas in morte pſittaci ſui lib. 2. Amorum Elegiâ ſextâ.

Ite piæ volucres, & plangite pectora pennis.
Et rigido teneras ungue notate genas.

Hæc enim ille poëticâ proſopopeiâ ad aves accommodans, quæ hominum in luctu propria ſunt. Proinde idem Triſtium lib. 3. Elegiâ tertiâ,

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos.

Et Tibullus lib. 1. Elegiâ primâ,

Tu manes ne læde meos, ſed parce ſolutis,
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Et Artemidorus onirocriticôn lib. 1. cap. 30. *Genas* (in ſomnis) *habere graciles aut exulceratas, triſtitiam & luctum ſignificat. Graciles quidem triſtitiam, exulceratas autem luctum. Nam in luctu homines genas dilacerant.* Horus lib. 2. Hieroglyph. cap. 50. ait de Ægyptiis quòd *mulierem lactantem & benè nutrientem ubi ſignificare volebant,* τρυγόνα, *id eſt, turturem pingebant. Sola enim inter omnes volucres, hæc dentes ac mammas habet.* Quæ ſi vera ſunt, malas etiam habet & genas. Sed à doctis jam obſervatum hæc ad veſpertilionem pertinere. Itaque τρυγόνα in τριγόνα nonnulli mutant: quo nomine veſpertilionem appellari conjectant, quia illius eſt proprium τρίζειν ſtridere, ut author eſt Julius Pollux. Alii refiùs in νυκτερίδα; quæ cur permutata fuerint, cauſa eſt obvia. Proximè antecefferat, *imbecillum hominem & magna molientem*

ſignificare

ſignificare volentes, νυκτερίδα, veſpertilionem pingunt, quæ ſine pennis volat. Et proximè ſequitur, *hominem qui ſaltatione & tibiâ demulcetur, deſignaturi pingunt τρυγόνα, turturem,* ſcilicet marinum, qui Latinis dicitur *paſtinaca.* Neque enim turtur avis, ſed turtur piſcis marinus, (quem præter morem Græcorum Horus lib. 2. Hieroglyph. cap. 51. & 105. Turturem appellat ſine addito) id eſt, paſtinaca, tibiâ & ſaltatione delinitus in naſſam inducitur, ut pluribus narrat Ælianus lib. 17. de animal. c. 18. Philes tamen id quoque refert ad turturem avem.

Collum tuum ſicut monilia. Q. d. Collum tuum adeò uſquequaque ſpecioſum eſt, ut rotunditate perfectiſſimum adæquet monilium circulum, & candore non cedat eorumdem monilium candidiſſimis margaritis, ex quibus connecti ſolent, proindéque nec adſcitiis egeat monilium ornamentis. Hinc præclarè B. Bernardus Serm. 41. in Cantica : *Solet collum monilibus ornari, non ipſis comparari : ſed hoc illæ faciant, quibus quia de proprio non ineſt decor, aliunde neceſſe eſt ut mendicent, unde ſpecioſas ſe mentiantur. Nam ſponſæ collum in ſeipſo tam formoſum, & tam decenter, quaſi naturâ formatum eſt, ut extrinſecùs non requirat ornatum.* Ceterùm in textu Hebræo habetur ad verbum, *pulchræ ſunt genæ tuæ batorim,* [id eſt, *in turturibus,* vel quod aliis magis placet, *in ordinibus* ſcilicet, gemmarum) *collum tuum bacharouzim,* id eſt, *in catenulis,* ſeu, *monilibus*; hæc enim vox Hebræis aliunde ignota, ex Arabica lingua eſt notiſſima, quâ verbum *charaza* eſt *filo conſerere, ſubulâ conſuere.* Unde *Charazath, grana filo conſerta, ſpinæ dorſi vertebræ in homine;* in ſcorpione *caudæ ſpondyli & internodia,* quæ Talmudicis חומרי *chomare* & Hebræorum aliis חוליות *Chulijoth. Alcharaz, ſpina dorſi,* cujus ſpondylia tanquam conſuta & conſerta ſunt. Item *monile ex gemmis conſertis.* Vulgatus itaque & Helleniſtæ interpretes vel pro *batori & bacharouſim* legerunt Hebraicè *catorim & cacharouſim,* vel non curantes de verſione ad verbum reddidêre ſenſum. Ut Ezech. 16. v. 10. Et ſeqq. Sic hoc verſiculo commendat Deus varia à ſe dona in Iſraelitas collata, ſub figurâ ſponſæ pulcherrimæ, quæ ad nuptias ornatur.

10. *Murenulas aureas, &c. Murenulæ,* Inquit Caſſiodorus, *ornamentum ſunt colli virginalis & puellaris : videlicet, virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam pulchrâ varietate ſubtiliſſimis argenti filis.* Pollicetur itaque in præſenti verſiculo ſponſus ornamentum congruum ſponſæ collo, cujus pulchritudinem in ſuperiori verſiculo commendaverat. Vocem Hebraicam תורי *tore* in præſenti verſu non ſumendam pro turture ave, ſed pro ornamento indicant adjuncta.

Vermiculatas,

Vermiculatas argento. Id eſt, ut patet ex textu Hebræo, punctis argenteis affabrè intermixtas, ſeu ut loquitur mox laudatus Caſſiodorus, *in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, diſtinctas & inter ſe conjunctas.* Jam promittit Deus Iſraëlitis dona longè majora, & pretioſiora hactenus collatis ſub figura ornamentorum pretioſiorum & multò magis affabrè factorum. Hactenus quippe Eccleſiæ ſub Lege ornamenta erant *adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa*, ut loquitur Apoſt. Rom. 9. At jam ipſi promittitur decus longè majus, nempe brevi ex ipſa naſcirurus ſecundum carnem Chriſtus, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen.*

Sponſa.

II. DUm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

EXPLICATIO.

II. *Dum eſſet Rex &c.* Q. d. Quamvis odor meus fragret, ita ut Rex mihi deſponſatus, cùm eſſet in accubitu ſuo inter fragrantiſſima unguenta, nardum meam ſit odoratus; tamen longè fragrantior; multóque ſuavior eſt odor ſponſi; eſt enim ut myrrhæ faſciculus, & cypri prope balſameta Engaddi naſcentis botrus adeò odoratus, ut eum peroptem jugiter habere inter ubera mea. Per nardum humilem calidæ naturæ herbam deſignatur humilis ac fervens Eccleſiæ oratio cœlos penetrans. Vide Bernard. Ser. 40. in Cantic.

In accubitu. Heb. ad verbum, *in circuitu.* Hebræorum mos erat menſæ accumbere in circuitu; unde illud pſ. 127. Heb. 128. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* Eadem vox *accubitus* eodem ſenſu accipitur. Tob. 2. v. 3. *Exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus.*

Nardus. Ex nardi ſpicis fieri unguentum odoratiſſimum, proindèque pretioſiſſimum, eóque olim convivas perfundi ſolitos

litos non colligitur ex præsenti tantùm versiculo, sed & ex Evangelistis. Mat. 26. v. 7. Marc. 14. v. 3. Luc. 7. v. 46. Joan. 12. v. 3. Indidem etiam patet muliebre fuisse officium convivas præcipuos unguentis perfundere. Hinc. 1. Sam. seu Reg. 8. v. 13. Samüel prædixit Regem filias Israël unguentarias esse facturum.

12. *Fasciculus myrrhæ.* Id est, sertum ex myrrhæ ramis frondosis & floridis compactum. Cùm myrrhæ arbor stillare soleat odoratissimum liquorem (quæ myrrha solet nuncupari) ut advertunt historiæ naturalis scriptores, procul dubio instar cæterarum arborum resinam odoratam proferentium, eundem quoquo pacto retinet odorem in caudice, ramis, foliis, & floribus.

Inter ubera &c. Alludit sponsa ad muliebrem consuetudinem gestandi ad pectus serta odorifera & visu pulchra.

13. *Botrus Cypri. Cyprus in Ægypto est arbor ziziphi foliis, semine coriandri, flore candido, odorato. Coquitur hic in oleo, premiturque postea, quod Cyprus vocatur. Optimum habetur è Canopica in ripis Nili nata, secundum Ascalone Judææ, tertium Cypro insula suavitatis odore. Quidam hanc esse dicunt, quæ in Italia Ligustrum vocatur.* Hæc Plinius. lib. 12. hist. nat. cap. 24. Cùm autem ligustri flores instar uvarum, in botros coëant, non incongruè botri nomine significantur à sponsa.

In vineis Engaddi. Id est, prope Balsameta Engaddi. Particulam *in* sumi passim pro particula *propè* ostendimus in commentario nostro in Mat. 8. v. 2. multis scripturæ exemplis. Jam vineas Engaddi esse balsameta volunt plerique interpretes. Hieronymus in locis: *Vocatur usque hodie vicus prægrandis Judæorum Engaddi juxta mare mortuum, unde & opobalsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Aponius in Cantica lib. 3. *Vineæ Engaddi non vinum, sed balsamum gignunt.* Et in eundem librum ante annos quingentos Robertus Foliot Londinensis Episcopus: *Engaddi planities est juxta Jericho, in qua consistunt arbores in modum vineæ consitæ, ex quibus, dum vulnerantur, fluit balsamum.* Rectè *in modum vineæ consitæ*, ita enim veteres tradunt. Justinus lib. 36. *Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quòd sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur.* Plinius lib. 12. cap. 25. *Viti similior est* balsami arbuscula, *quàm myrto. Malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis, & implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent. Tondetur similiter frutticans, ac rostris nitescit.* Et è recentioribus Marinus Sanutus lib. 3. cap. 14. *arbuscula illa est sicut vitis trium annorum.* Quod autem cyprus nascatur prope balsameta Engaddi

gaddi patet ex Josepho & ex supposititio Egesippo; hic enim lib. 4. de excidio Jerosolymitano cap. 17. ait cyprum & balsamum nasci circa fontem ab Elisæo sanatum in agro Jerichuntino, cujus pars erat Engaddi. Josephus verò eandem regionem Jerichuntinam describens lib. 5. de Bello Judaico cap. 4. eam ait esse feracem opobalsami, cypri & myrobolani.

Engaddi. Vicus est in agro Jerichuntino, qui Plinio Engadda, Ptolomæo & Stephano Engada, sed Hebræis *En-gedi* dicitur, id est, *fons capri*, ut in libro Nominum rectè interpretatur Hieronymus. Hoc nomen à situ videtur adeptus: est enim in cellis rupibus, quæ in valles subjectas casum minari videntur, & terrorem transeuntibus incutiunt. Itaque fons inde promanans ideo *fons hœdi* seu *capri* videtur dictus, quasi solis capris esset pervius. Et pagus ibi conditus fontis nomen sibi retinuit, quamvis & à tuguriis, quæ Arabicè dicuntur, *Chasæ*, in palmeto sitis, appelletur 2. Paral. 20. v. 2. *Chasason-thamar*, seu ut pronuntiat Vulgat. *Asasonthamar*. Circa pagum illum scilicet palmetum fuit nobilissimum & longè palmeto præstantior hortus opobalsami. Proinde Josephus lib. 9. Antiq. cap. 1. de Moabitis & Ammonitis: *Bello oppugnabant Engadde, oppidum Asphaltitis lacui vicinum, stadiis trecentis dissitum à Jerosolymis. In eo nascuntur egregiæ palmæ & opobalsamum. In Engaddi*, inquit B. Greg. in Cantic. 1. *balsamum gignitur, quo cum oleo pontificali benedictione, chrisma efficitur.* Quod autem balsamum nuspiam extra agrum Jerichuntinum nascatur, passim testantur veteres. Strab. lib. 16. Diodorus lib. 19. Justinus lib. 35. Joseph. lib. 4. Antiq. cap. 3. & lib. 5. de bello Judaico cap. 4. Joseph. bengorion lib. 4. cap. 20. RR. Levi & Kimchi in 4. Reg. 20. v. 13. &c. Nunc tamen præter balsamum Jerichuntinum visitur Americum, quod licèt à Jerichuntino differat colore, censetur tamen verum balsamum a Romanensibus, unde validè ex illo confici chrisma declaraverunt Paulus III. & Pius IV. Hæc sufficiant dicta de litera, videamus jam spiritum sub literæ cortice latentem. Ecclesia dicit, Etsi fervidæ ac humilis orationis meæ odor nubes penetraverit, & Dominus exauditor in ea delectatus fuerit, longe tamen major est fragrantia sponsi, cujus bonus odor myrrhâ, cypro, & balsamo fragrantior multòq; suavior; atque hinc est quod tantoperè concupiscam ut citò completis in ejus ortu, vita, dictis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione omnibus Legalibus umbris & Prophetarum præconiis, ipse solus per amoris sui incendium mihi vivat in corde. Præclarè B. Petrus Damiani in Serm. de SS. Flora & Lucilla: *Nemo dubitat inter ubera pectoris esse locum cordis. Dilectus ergo inter sponsæ ubera commorabitur, quia*

indefici-

indeficiens ejus amor ac desiderium ex ejus memoria non delętur.

Sponsus.

14. ECce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

EXPLICATIO.

14. *Ecce, &c.* Congratulatur sponsus sponsæ tam casto & fervido amore sibi uni adhærenti; quod quàm optimè quadrat in Deum Ecclesiæ sub lege sibi desponsatæ congratulantem quòd unicè diligat adventum ipsius, ipsúmque amore continuo in cordis sui arcano complectatur.

Oculi tui columbarum. Hebraismus, id est, ut columbarum. Tribuuntur hic sponsæ, & infrà cap. 5. v. 12. oculi columbarum, id est, puri, venusti, simplices, casti denique, quod potissimùm Hebræi hîc intelligunt; quia columba solum conjugem respicit, neque oculos in ullum alium conjicit. *Postquam* (inquit Rabbi Salomon) *compari suo desponsata est, alteri sociari non gaudet.* & Aben Ezra, *columbæ non solent ulli alteri, quàm compari suo consociari.* quod idem de palumbe postquam docuit Ælia- lib. 3. hist. cap. 44. addit ἐὰν δὲ ἐπορθαλμιάσωσιν ἕτέρους, *si autem libidinosos oculos in alios conjiciant, eos reliqui circumsidentes, marem quidem mares, fœminam verò fœminæ discerpunt.* Ubi nota verbum ἐπορθαλμιᾶν de libidinoso aspectu usurpari, quia oculi sunt in amore duces, & ab ὁρᾶν, fit ἐρᾶν. Unde 1. Joan 2. v. 6. *concupiscentia oculorum,* & 2 Pet. 2. v. 14. *oculos habentes plenos adulterii.* Quod malo suo expertus David, à Deo obnixè petiit Ps. 118. Heb. 119. v. 37. oculos suos averteret ne viderent vanitatem, & Job c. 31. v. 1. cum iis fœdus pepigit ne virginem aspicerent.

Sponsa.

15. ECce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus Lectulus noster floridus.

16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

EXPLICATIO.

EXPLICATIO.

15. *Ecce tu pulcher es, &c.* Q. d. O sponse dilectissime, quanta quanta sit mea, quamdeprædicas, pulchritudo, nulla est si tua cum venustate & pulchritudine omnibus numeri absoluta conferatur. Atquè hæc verba optimè competunt Synagogæ Verbum æternum alloquenti; summa quippe ejus pulchritudo non erat nisi figura adumbrans eum, qui cùm esset ab æterno splendor paternæ gloriæ, ubi venit plenitudo temporum, ut eos qui sub Lege erant redimeret, homo factus est & tanquam sponsus procedens de thalamo suo apparuit nitidus, decorus & speciosus formâ præ filiis hominum.

Lectulus, &c. Eleganter sponsa magnifico Regis palatio non inferiorem prædicat thorum pastoralem, quem ipsi recubanti patularam sub tegmine arborum herbæ & flores. Sensus est ergò idem ac si diceret, ô desideratissime sponse adesdum, veni & noli tardare, consumma citò matrimonium promissum casto connubio, thorum quam jucundissimum & magnificentissimum ad te excipiendum habeo paratum. Hæc sponsæ verba quam fieri potest perfectissimè adumbrant vota Ecclesiæ sub Lege invitantis Verbum Patris ut citò promissum in carne adventum exhibeat nec dedignetur per mysticum matrimonium una fieri caro cum ea, quæ exemplis & institutis Patriarcharum & Prophetarum, tanquam quibusdam benè olentibus respersa floribus refulget, & quasi fortissimis trabibus innixa, pulcherrimisque laquearibus exornata domus nitescit, & incorrupta perseverat in veris Israelitis.

16. *Cypressina.* Heb. ברותים, quam vocem alii volunt esse synonynam cum ברוש *Abietes*; alii verò volunt significare arbores, quæ vocabulo ab hac voce Hebræa derivato dicuntur à Plinio lib. 12. cap. 17. *brutæ*. Ait autem *brutam arborem cupresso fusæ similem, exalbidis ramis, jucundi odoris accensam, odorémque esse proximum cedro.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Sponsus.

1. *EGo flos campi, & lilium convallium.*
2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.*

EXPLICATIO.

1. *EGo, &c.* Ad literam sensus est idem ac si diceret, Dilectissima sponsa, ecce venio citò; herbaceus enim & floridus ille lectulus tuus me in primis delectat, utpote qui sum flos campi & lilium convallium. Similiter Deus Verbum his verbis exhibetur ut promittens se propediem in carne adventurum & cum hominibus conversaturum; ut autem perstet in metaphora ab Ecclesiâ mox usurpata de lectulo florido, se cognominat florem campi & lilium convallium, q. d. Lectulus tuus floridus non potest esse injucundus ei qui flos est & lilium. Variæ autem à SS. PP. afferuntur rationes cur Christus dicatur *flos campi & lilium convallium*; communior tamen est, Christum se dicere florem campi, quia est flos de radice Jesse, qui absque virili opere è B. Virgine ortus est mundo, non secus ac flos campi ex inarata terra nascitur. Lilium verò convallium, quia humilibus se revelat, & amoris sui copiam largitur per præsentiam.

Flos. Heb. חבצלת, quod ab aliis redditur *lilium*, ab aliis *narcissus*, ab aliis *rosa*. Intelligendus est ergo flos antonomasticè dictus.

Campi. Heb. השרון. Vox *Saron* est ambigua, significat enim campum, ut patet tum ex Es. 35. v. 2. ubi vox *Saron* sic redditur à Symmacho, tum ex præsenti loco, ubi Vulgatus & Hellenistæ eandem vocem *Saron* in eadem significatione accipiunt, sicut & Es. 65. v. 10. Præterea *Saron omnis juxta Joppen, Lyddámque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilésque tenduntur*, ut observat B. Hier. in Es. 33. unde Act. 9. v. 35. *Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ.* & 1 Par. 27. v. 29. *Armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai*

trai Saronites. Hinc apud Talmudicos tractatu de Sabbato cap. 7. & de menstruata cap. 2. vinum Saroniticum inter generosa censetur, in quibus miscebantur duæ partes aquæ. Verùm quemadmodum in locis Esaïæ laudatis adjuncta omninò docent *Saron* ibi esse loci nomen, sic & hîc comma sequens, *& lilium convallium*, docet *Saron* pro campo esse sumendum, quia sic textus meliùs cohæret.

2. *Sicut lilium, &c.* Non dicit lilium crescere inter spinas, sed lilium florem pulcherrimum confert cum spinis asperrimis, & affirmat, quale inter hujusmodi spinas ipsis collatum lilium, talem esse inter ceteras filias ipsis collatam sponsam. Hæc autem comparatio egregiè commendat Ecclesiæ præstantiam, *quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes Conventus Ecclesiâ Dei refulget*, ut loquitur B. Ambr. in Ps. 118. in Octon. 5. cum autem vox שושנה *Schoschana* omne genus florum significet Hebraicè, multi hîc rosam significare volunt.

Sponsa.

3. SIcut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

5. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

6. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

EXPLICATIO.

3. *Sicut malus, &c.* Sponsa largiùs cum fœnore sponsum laudat. q. d. Tu, dilectissime sponse, me tantùm ceteris puellis pulchriorem dixisti, quantùm lilium excellit spinis; ast ego te non solâ pulchritudine, sed & sermonum & morum suavitate omnibus hominibus longè superiorem agnosco, atque hinc est quòd vel umbra tua, in qua hactenus sedi, me tantoperè recreet. Ecclesia dicit Deo, tu, ô Rex gentium & desideratus earum me ceteris rationum cœtibus compositam ab iis tantùm distare

distare dicis, quantùm spinis præstat *lilium*; ast ego longè potiori jure nihil in gestis cujusvis sancti elucere agnosco, quod comparari possit tecum, cujus vel ipsa eloquia, utpote verba vitæ æternæ, sunt præ melle suavia. Hinc Lex, quæ umbra est futurorum gestorum, & eloquiorum tuorum, me incredibili hactenus lætitiâ affecit. Præclarè itaque *B.* Ambros. in Ps. 118. Octon. 8. de Ecclesia sub Lege: *Legem acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat viam. In Lege itaque requiescens in umbra Christi requiescebat.*

4. *Introduxit me, &c.* Q. d. Experiri me fecit dilectus meus, quàm suavis sit.

In Cellam vinariam. Quemadmodum, ut suprà diximus, vinum phrasi Hebraicâ dicitur quidquid deliciosum, & voluptarium est, ita hîc cellæ vinariæ nomine appellat sponsa mirificam suavitatem, quâ sponsi beneficio potita est & exhilarata.

Ordinavit in me charitatem. Non tam litteram, quàm litteræ sensum reddidit Vulgatus interpres. Ad verbum enim habetur Hebraicè, *& vexillum ejus super me charitas.* q. d. Et sub vexillo amoris me sibi totam subjecit. Itaque ordinavit in me charitatem, idem est atque, constituit supra me charitatem, seu dilectionem sui mihi proposuit, cujus in omnibus sequerer imperium, non secus ac vexillum sequuntur milites. Quod autem verbum *ordinare* hîc sumatur pro *constituere*, patet ex Ambrosio in Ps. 118. in Octon. 5. Sic Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt*, supple ex textu Græco, *potestates, à Deo ordinatæ*, id est, constitutæ, τεταγμέναι *sunt*. Ecclesia dicit vinum Legis sibi datum à Deo, ne ampliùs vinacea uvarum diligeret, respiciens ad deos alienos, quorum objectu & cultu tempore illius diutinæ in Ægypto moræ pascebatur. Quinimò effecisse Deum dicit, ut prosùs abjectis diis alienis, ipsi soli dilectione adhæreret.

5. *Fulcite, &c.* Sensus est, Hei languenti ex amore opem festinate, & iis, quæ vobis præstò sunt, remediis ægram sustentate. Hic idem sensus est sive vocem Hebraicam אשישות *Baaschischoth* cum Symmacho & Vulgato interpreteris *in flore*, seu, *floribus*; sive cum Hellenistis vertas, *in unguentis*. Petit Ecclesia sub Lege ut sibi præ amore Christi venturi languenti, quòd eum nondum pro desiderio præsentem videat, citò per consolationem Scripturarum subveniatur.

6. *Læva ejus, &c.* Q. d. Utinam ille, cujus absentis amore langueo, jam præsens adsit, méque dextrâ complexus, sinistrâ mihi languidum fulciat caput. Imò, inquit Ecclesia, languori meo nec ipsum Scripturarum solatium mederi potest, nisi ipse

trai Saronites. Hinc apud Talmudicos tractatu de Sabbato cap. 7. & de menſtruata cap. 2. vinum Saroniticum inter generoſa cenſetur, in quibus miſcebantur duæ partes aquæ. Verùm quemadmodum in locis Eſaïæ laudatis adjuncta omninò docent *Saron* ibi eſſe loci nomen, ſic & hîc comma ſequens, *& lilium convallium*, docet *Saron* pro campo eſſe ſumendum, quia ſic textus meliùs cohæret.

2. *Sicut lilium, &c.* Non dicit lilium creſcere inter ſpinas, ſed lilium florem pulcherrimum confert cum ſpinis aſperrimis, & affirmat, quale inter hujuſmodi ſpinas ipſis collatum lilium, talem eſſe inter ceteras filias ipſis collatam ſponſam. Hæc autem comparatio egregiè commendat Eccleſiæ præſtantiam, *quia ſicut lilium inter ſpinas eminet, ita ſuper omnes Conventus Eccleſiæ Dei refulget*, ut loquitur B. Ambr. in Pſ. 118. in Octon. 5. cum autem vox שושנה *Schoſchana* omne genus florum ſignificet Hebraicè, multi hîc roſam ſignificare volunt.

Sponſa.

3. SIcut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.

6. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

EXPLICATIO.

3. *Sicut malus, &c.* Sponſa largiùs cum fœnore ſponſum laudat. q. d. Tu, dilectiſſime ſponſe, me tantùm ceteris puellis pulchriorem dixiſti, quantùm lilium excellit ſpinis; aſt ego te non ſolâ pulchritudine, ſed & ſermonum & morum ſuavitate omnibus hominibus longè ſuperiorem agnoſco, atque hinc eſt quòd vel umbra tua, in qua hactenus ſedi, me tantoperè recreet. Eccleſia dicit Deo, tu, ô Rex gentium & deſideratus earum me ceteris rationum cœtibus compoſitam ab iis tantùm diſtare

distare dicis, quantùm spinis præstat *lilium*; ast ego longè potiori jure nihil in gestis cujusvis sancti elucere agnosco, quod comparari possit tecum, cujus vel ipsa eloquia, utpote verba vitæ æternæ, sunt præ melle suavia. Hinc Lex, quæ umbra est futurorum gestorum, & eloquiorum tuorum, me incredibili hactenus lætitiâ affecit. Præclarè itaque *B.* Ambros. in Ps. 118. Octon. 8. de Ecclesia sub Lege: *Legem acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat viam. In Lege itaque requiescens in umbra Christi requiescebat.*

4. *Introduxit me, &c.* Q. d. Experiri me fecit dilectus meus, quàm suavis sit.

In Cellam vinariam. Quemadmodum, ut suprà diximus, vinum phrasi Hebraicâ dicitur quidquid delicioſum, & voluptarium est, ita hîc cellæ vinariæ nomine appellat sponsa mirificam suavitatem, quâ sponsi beneficio potita est & exhilarata.

Ordinavit in me charitatem. Non tam litteram, quàm litteræ sensum reddidit Vulgatus interpres. Ad verbum enim habetur Hebraicè, *& vexillum ejus super me charitas.* q. d. Et sub vexillo amoris me sibi totam subjecit. Itaque ordinavit in me charitatem, idem est atque, constituit supra me charitatem, seu dilectionem sui mihi proposuit, cujus in omnibus sequerer imperium, non secus ac vexillum sequuntur milites. Quod autem verbum *ordinare* hîc sumatur pro *constituere*, patet ex Ambrosio in Ps. 118. in Octon. 5. Sic Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt*, supple ex textu Græco, *potestates, à Deo ordinatæ*, id est, constitutæ, τεταγμέναι *sunt*. Ecclesia dicit vinum Legis sibi datum à Deo, ne ampliùs vinacea uvarum diligeret, respiciens ad deos alienos, quorum objectu & cultu tempore illius diutinæ in Ægypto moræ pascebatur. Quinimò effecisse Deum dicit, ut prosùs abjectis diis alienis, ipsi soli dilectione adhæreret.

5. *Fulcite, &c.* Sensus est, Hei languenti ex amore opem festinate, & iis, quæ vobis præstò sunt, remediis ægram sustentate. Hic idem sensus est sive vocem Hebraicam בראשישות *Baaschischoth* cum Symmacho & Vulgato interpreteris *in flore*, seu, *floribus*; sive cum Hellenistis vertas, *in unguentis*. Petit Ecclesia sub Lege ut sibi præ amore Christi venturi languenti, quòd eum nondum pro desiderio præsentem videat, citò per consolationem Scripturarum subveniatur.

6. *Læva ejus, &c.* Q. d. Utinam ille, cujus absentis amore langueo, jam præsens adsit, méque dextrâ complexus, sinistrâ mihi languidum fulciat caput. Imò, inquit Ecclesia, languori meo nec ipsum Scripturarum solatium mederi potest, nisi ipse

Christus jam jam adveniat, & mecum desponsata sibi uxore matrimonium consummet per Incarnationis mysterium.

Sponsus alloquitur sponsæ comites.

7. ADjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervósque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

EXPLICATIO.

7. *Adjuro, &c.* In hoc sacro Dramate rustico, cùm sponsus sponsæ comites adjurat per capreas cervósque camporum, his valdè delectari innuit eos, qui rusticum vitæ genus eligunt. Proinde apud summum Poëtam cervus fortuitò saucius fuit prima occasio tumultûs inter Latii rusticos & Trojanos concitati. Et Macrobium, qui hanc belli causam deridet ut levem nimis Saturnalium lib. 5. cap. 17. Pontanus ex professo refellit. Solemus autem rogare & adjurare per ea quæ sunt charissima. Ita Dido lib. 4. Æneid.

Per ego has lacrymas, dexterámque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymnæos;
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum, &c.

Ceterùm per cervos & capreas adjurare, nihil aliud est, quàm orare & deprecari. Quippe vox adjurandi, si propriè sumatur, ut jurare non licet nisi per solum Deum, Deut. 6. v. 13. ita nec adjurare. Hinc Genes. 24. v. 3. Abraham adjurat servum suum per Dominum, Deum cæli & terræ.

Filiæ Jerusalem, &c. Id est, Virgines Jerosolymitanæ.

Cervósque camporum. Id est, qui degunt in agris, ab urbe Jerusalem non multùm dissitis.

Ne suscitetis, &c. Q. d. Parcite somnum sponsæ amore languentis abrumpere, neque evigilare faciatis invitam. Hæc sponsi adjuratio adumbrat Deum adjurantem animas fideles, per ea, quæ sibi sunt charissima, ne Ecclesiam dulcedine contemplationis & charismatum ipsius absorptam, perturbent, & ab hoc pio sopore invitam avocent ad alia.

Sponsa

Sponſa loquitur in ſomnis.

8. VOx dilecti mei, Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.

9. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque cervorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.

11. Jam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.

12. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.

13. Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.

14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.

EXPLICATIO.

8. VOx *dilecti mei*, Q. d. Vocem ſponſi adventantis mihi audire videor.

Ecce iſte venit ſaliens, &c. Id eſt, properat quam velociſſimè dilectus meus ad me, nec ullis itineris difficultatibus ipſius curſus retardatur. Hæc verba optimè quadrant in Eccleſiam ſub Lege intra ſe cogitantem jamjam implendum eſſe magnum Incarnationis ſacramentum, nec Dei Verbum propoſitis ſibi in humanitate ſubeundis opprobriis & ſuppliciis ab ejuſdem humanitatis aſſumtione poſſe deterreri.

9. *Similis est, &c.* Passim in hoc sacro Dramate sponsus capreæ comparatur & hinnulo cervorum, idque ob formæ decorem, ut multi volunt, quia hujus sponsi, qui dicitur Ps. 44. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum*, forma susè commendatur infrà cap. 5. Plerique veterum sponsum toties cum caprea conferri censent, quòd dorcas seu caprea sit animal perspicacissimum. Origenes in Cantica Hom. 3. *Caprea habet in natura sua, ut non solùm videat ipsa, & perspiciat acerrimè, sed & aliis visum præbeat. Asserunt namque hi, quibus medicinæ peritia est, inesse animali intra viscera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosque visus exacuat. Meritò ergo capreæ vel damulæ Christus comparatur, quia non solùm videt Patrem, sed & videri ab aliis facit, quorum visus ipse curaverit.* S. Greg. Nyss. Hom. 5. in Cant. *Caprea significat visûs acumen ejus, qui omnia perspicit.* Philo Carpathius, *Sponsus, scilicet Christus capreæ assimilatur, eo quòd corda omnium subtilissimè rimetur, & inspiciat cogitationes omnes.* Aponius in Cantica libro quarto, *Capreæ pro eo opinor similem dici, quia nostræ salutis inlustratio cæcitatem cordis auferens, &c.* Theodoretus de Christo hîc, *Eum cum caprea sponsa confert, propter visûs acumen, & perspicaciam, & futurorum præcognitionem.* Michaël Psellus in cantica, *Caprea allegoricè videntem significat. Nam ipse Christus omnium corda intuetur.* Quæ quidem vera & piè dicta, nescio an ad mentem Salomonis; quia hæ Allegoriæ Græci capreæ nominis Etymologiâ totæ nituntur. Neque enim in sacro textu quidquam est, unde pateat Salomonem id respexisse. Quin de sponsi saltibus, aut fuga aut reditu iis locis agitur, quibus in hoc sacro cantico sponsus confertur cum caprea & hinnulo cervorum. Itaque nihil puto respici, quàm capreæ & cervorum in cursu aut saltu agilitatem propè incredibilem: cui similis sponsi alacritas, & exequendi celeritas, ac facilitas, quidquid agat aut moliatur. Quod maximè quadrat in Christum Ecclesiæ sponsum, qui omnipotentissimâ facilitate omnia quæcunque vult facit, & cujus gratia nescit tarda molimina. Porro quia in præsenti, quo de agimus, versu sponsi saltus comparantur cum summa cervi & capreæ in saltu agilitate, operæ pretium est observare ex Gesnero prope Francofordiam extare locum à cervino saltu nominatum, in quo lapides duo visuntur erecti interstitio pedum ferè sexaginta, quanto spatio ibi saliisse dicitur cervus, idque supra plaustrum oneratum, cùm venatores instarent. Refert quoque Varro lib. 2. Rust. cap. 3. capras feras salire è saxo pedes plus sexagenos.

En ipse stat, &c. Vehemens adventûs sponsi desiderium sponsæ somnianti suadet ipsum jamjam adventare, & sese videndum exhibere per cancellos, non secus ac rosa erumpens ex rimis folliculi

folliculi modicùm ſeſe aperientis. Sic autem reverà Chriſti Incarnatio per Legales umbras & Prophetarum ænigmata veteribus in Eccleſia ſub Lege fidelibus apparuit, dum quaſi ſopiti ceterorum, ſuíque prorſus immemores, ad unum Chriſti adventum omnium votis exoptatum vigiles erant, eúmque accelerari enixè rogabant.

10. *En dilectus meus, &c.* Jam videtur ſponſæ à ſe audiri ſponſum ſibi loquentem blandis verbis, ut amore languentem ſoletur, & quam diuturnior ſponſi mora & promiſſi conjugii futuri dilatio in deliquium incidere fecerat, inſtantes nuptiæ refocillent. Hæc itaque verba intellecta de Chriſto deſponſatam ſibi ſub Lege Eccleſiam alloquente eundem ſenſum formant, atque illa ejuſdem ſponſi cæleſtis verba apud Eſaïam cap. 40. *Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter. Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt.* & ibidem cap. 52. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tuâ Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Jeruſalem civitas ſancti: quia ego ipſe qui loquebar* in Lege & Prophetis multifariàm, *ecce adſum.*

Amica mea, &c. Blandis appellationibus ſponſam ad ſe allicit ſponſus. Cur autem cum columba conferatur ſponſa ſuprà dictum eſt.

Et veni. Ad nuptias ab antiquo promiſſas & prophetatas. Heb. *Et veni tibi*, quia nimirùm Eccleſia unita eſt cæleſti ſponſo per Incarnationis myſterium non Dei ſed ſuo commodo; neque enim Deus per hoc myſterium factus eſt beatior, ſed Eccleſia inde beata. Chriſtus enim Dominus non ſibi, ſed nobis incarnatus eſt. Hinc Eſ. 9. v. 5. *Parvulus natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis.* Et Angelus ad paſtores ait Luc. 2. v. 11. *Natus eſt vobis hodiè Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.*

11. *Jam enim hyems tranſiit.* Q. d. Invitat te ut properes ad meos amplexus vel ipſa veris tempeſtas, quæ jamjam hyemi ſucceſſit. Vernum quippe tempus præ ceteris anni temporibus dicatum eſſe copulæ conjugali docent plantæ cunctæ & bruta animantia, quibus unica tunc prolificandi cura. Proponit autem cæleſtis ſponſus ob oculos Eccleſiæ jam inſtare dies ſalutis & tempus acceptabile, quo Dei Filius reconciliandam authori ſuo naturam generis humani eſt aſſumturus. Hos autem dies ſalutis adumbrat ver, quod quàm elegantiſſimè hîc deſcribitur. Qui autem minutiùs ſcrutari velit quâ ratione ſingulæ verni temporis deſcriptionis particulæ quadrent in illos dies ſalutis, quibus Deus incarnatus & cum hominibus converſatus eſt, & pro hominibus paſſus reſurrexit, conſulat Greg. Nyſſ. hom. 5. in cantic. Bernardum ſer. 58. in cantic. &c.

12. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Eleganter B. Bernar-

dus Ser. 59. in Cantic. *Adverte quantæ ſuavitatis ſit Deum cœli dicere, In terra noſtra. Quique terrigenæ & filii hominum audite, magnificavit Dominus facere nobiſcum. Multùm illi cum terra, multùm cum ſponſa, quam de terris ſibi adſciſcere placuit. In terra, inquit, noſtra. Non planè principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſed familiaritatem. Tanquam ſponſus hoc dicit, non tanquam Dominus. Quid? Conditor eſt, & conſortem ſe reputat. Amor loquitur, qui dominium neſcit. Carmen nimirum amoris eſt, nec aliis hoc, quàm amatoriis fulciri oportuit. Amat & Deus, nec aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt unde amat: & ideò vehementiùs, quia non amorem tam habet, quàm hic eſt ipſe. Verùm quos amat, amicos habet, non ſervos. Denique amicus ſit de magiſtro, nec enim amicos diſcipulos diceret, ſi non eſſent. Vides amori cedere etiam majeſtatem? Ita eſt, neminem ſuſpicit amor, ſed ne deſpicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè ſe amat, & in ſe ipſo celſos humiléſque contemperat, nec modò pares, ſed unum eos facit. Tu Deum forſitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas: ſed qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Quid miraris hoc? Ipſe factius eſt tanquam unus ex nobis. Minùs dixi, non tanquam unus, ſed unus. Parùm eſt parem eſſe hominibus, homo eſt. Inde terram noſtram vindicat ſibi, ſed quaſi patriam, non quaſi poſſeſſionem. Quidni vindicet? Inde illi ſponſa, inde ſubſtantia corporis. Inde ſponſus ipſe, inde duo in carne una. Si caro una, cur non & patria una? Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Ergo ut filius hominis hæreditat terram, ut Dominus ſubjicit, ut conditor adminiſtrat, ut ſponſus communicat. Dicendo nempe, in terra noſtra, proprietatem profectò abnuit, ſocietatem non reſpuit.* Hactenus B. Bernardus.

Tempus putationis advenit. Præclarè B. Greg. Nyſſ. Hom. 5. in Canticum Canticorum: *O quàm eleganter nobis deſcribit veris amœnitatem creator veris, cui dicit David, Æſtatem & ver tu plaſmaſti ea. Solvit hyemis triſtitiam, dicens tranſiiſſe hybernam mœſtitiam, & imbrium moleſtiam. Oſtendit prata ſcatentia & decorata floribus. Flores autem dicit eſſe in ſuo vigore, & jam idoneos qui amputentur, ita ut eos omninò legendorum florum ſtudioſi homines, ad metendam corollam, aut ad unguenti compoſitionem tollere poſſint. Tempus autem lætius reddit oratio, avium quoque cantibus in ſylvis reſonantibus, ſuavi voci turturum ſonante in auribus. Ficum autem dicit & vitem quoddam quaſi proœmium in iis quæ apparent, fructuum futurorum oſtentare: cùm groſſos quidem illa jàm proferat, hæc ita floreat, ut odoratus deliciis illius fragrantiæ abundè perfruatur. Atque ſic quidem luxuriat oratio in deſcribendo verno tempore, & triſtitiam repellens, & lubenter verſans in jucundis narrationibus.* Hæc B. Greg. Nyſſ.

Vox

Vox turturis audita est in terra nostra. Turturem esse avem migratoriam non ex hoc tantùm loco,& ex Jerem.8.v.7.habetur sed & naturalis historiæ scriptores produnt. Arist. lib. 8. hist. cap. 3. *Palumbus & columba semper apparent, sed turtur æstate tantùm. Nam hyeme non conspicitur.* At ibidem. cap. 12. de palumbo id ipsum negat, quod hîc affirmaverat, & solas columbas jugiter manere scribit. *Decedunt*, inquit, *& palumbi, & liviæ, & hirundines, & turtures, neque hîc hyemant, sed columbæ manent*: & ibidem cap. 16. ait quòd hyme *& ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda. Sed de turture maximè omnium constat; nemo enim, propè dixerim, turturem per hyemem uspiam vidisse memoratur.* Varro etiam lib. 3. de re rustica cap. 5. *Turdi quotannis trans mare in Italiam advolant circiter æquinoctium autumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures ac coturnices immani numero.* Et Cicero lib. 2. de finibus: *Turtures cursu & peregrinatione lætantur.* Et S.Greg. Nyssenus in cantic. Hom. 5. *Hyeme fugit luscinia, torpet hirundo, à nido peregrinatur turtur.* Sunt tamen qui turturem putant non tam abire, quàm occultari. Plin. lib. 10. hist. nat. cap. 24. *Vtriùs turtur occultatur, pennásque amittit.* Alii *vere* perperàm legunt; neque enim turtur vere occultatur sed hyeme. Quin ipse Aristoteles Hist. anim. lib. 8. cap. 12. asserit nonnullos turtures remanere in locis asperis. Non possum hîc non addere Hebræos in præsenti, quo de agimus, versu, turturis nomine, quæ est avis columbini generis, Spiritum-sanctum intelligere, unde verba sacri textûs; *Vox turturis audita est in terra nostra*, sic reddit Chaldæus Paraphrastes: *Et vocem Spiritus-sancti, id est, liberationem, quam Abrahamo patri vestro prædixi, jam audiviistis.* Sed & Origenes in cantica Hom. 2. hæc sacri Cantici verba refert ad Spiritum-sanctum,dicens: *Spiritus-sanctus, quando de magnis & occultioribus Sacramentis, & quæ multi capere non possunt, loquitur, in turturis appellatione signatur, id est, ejus avis, quæ semper in montium jugis, & in arborum verticibus commoratur. In vallibus autem, & his quæ ad homines usque perveniunt, columba assumitur.* Ceterùm priusquam ulteriùs pergamus, operæ pretium est hîc observare quòd vox Hebræa *Zamir* זָמִיר quæ redditur à Vulgato, lxx. Aquila & Symmacho *putatio* in hoc versu, vertitur à recentioribus *cantillatio*, ut intelligatur de cantu avium, qui verno tempore exaudiri incipit. Porro *putationem* non vitis, sed florum cum suprà laudato Gregorio Nysseno intelligendam evincit contextûs sacri series, ni velis ante verbum *advenit* subintelligendam particulam *postquam.*

13. *Surge amica mea, &c.* Hæc iterata sponsæ ad nuptias promissas

promissas invitatio & blanda compellatio vehementiam sponsi in sponsam amoris & benevolentiæ prodit. Vide B Bernard. Serm. 61. in cantica.

14. *Columba mea in foraminibus, &c.* Aptè sponsam præ metu & verecundia latitantem vocat sponsus columbam in foraminibus seu fissuris petræ, & in caverna maceriæ, seu in latibulo præcipitii. Nam columbæ in columbariis habent ארבות *arubboth*, id est, foramina seu fenestras, in quibus latere & nidificare solent. Unde illud Esa. 60. v. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* id est, *ad columbaria sua*, ut habet Chaldæus Paraphrastes. Sed in metu latent columbæ ubivis, in fossis, in petris, in montibus, &c. Hinc Jerem. 48. vers. 28. Moabitæ, qui præ metu hostium relictis urbibus suis in rupium antris delitescunt, dicuntur esse *quasi columba nidificans in summo ore foraminis*, seu ut alii vertunt, *in lateribus oris fossæ*, hoc est, ut patet ibidem ex Chaldæo Paraphraste, ut columba, quæ in simili metu præter naturam, relicto foramine columbarii, descendit ut habitet in ima fossa. Hinc & Hebræi præsentem sacri Cantici, quem explicamus, versum intelligunt de Synagoga Israëlitica, quam in exitu ex Ægypto ab una parte persequebatur Pharao, ab altera concludebat desertum anguibus plenum. Hinc & illud Homeri Iliad φ. vers. 495.

——— Φύγεν ὥς τε πέλεια,
Ἣ ῥάθ' ἵρηκος Κοίλην ἐισέπτατο πέτρην.

Fugit ut columba, quæ ab accipitre volavit in petram cavam, in antrum. Etiam Ezec. 7. vers. 18. qui ex magna clade evaserunt oberrare leguntur in montibus *quasi columbæ convallium*, quæ nempe metu aucupis, aut accipitris, naturali sede desertâ, coguntur aliò secedere ut vitæ suæ consulant. Epiphanius Hær. 59. num. 9. tegmen petræ interpretatur, Christi benignitatem, misericordiamque Domini. ἐν σκέπῃ πέτρας ἐν φιλανθρωπίᾳ Χριστοῦ, καὶ ἐν ἐλέει κυρίου, τοῦτέστι σκέπη Πέτρας, σκέπη ἐλπίδος, καὶ πίστεως, καὶ ἀληθείας. Nempe fides & spes nobis divinâ benignitate data ex auditu veritatis prædicatæ nos unit Christo, qui est Petra salutis nostræ. *Meritum proinde meum*, inquit Bernardus Ser. 61. in Cantic. *miseratio Domini: non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quòd si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus in meritis sum. Nunquid justitias meas cantabo? Domine memorabor justitiæ tuæ solius, ipsa est enim mea; nempe factus es mihi tu justitia à Deo.* Idem Ser. 15. in Psal. 90. *Hoc*, inquit, *est totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eum, qui totum hominem salvum fecit.*

Ostende

Oſtende mihi faciem tuam, &c. Facies Synagogæ ſeu Eccleſiæ ſub Lege, in qua omnis ipſius decor relucebat, erat ipſius fides in Chriſtum venturum; hæc fides & vox hanc fidem corde, oré & opere profitendam reſonans ſemper placuit cœleſti ſponſo, antequam veniſſet & ut ſuum in carne adventum hominibus manifeſtaret, ea feciſſet opera, quæ alius nemo fecit. Itaque Chriſtus incarnandus in Eccleſia ſub Lege ſibi deſponſata nondum nupta commendat fidem & prædicationem ſui adventûs mox futuri ad redemtionem generis humani.

15. *Capite*, &c. Inducitur à ſponſa ſponſus hortans ſodales ut, interea dum ipſa dormit, capiant noxias vineis beſtiolas, ne vineam florentem demoliantur, antequam illæ beſtiolæ viribus augeſcant; vetus enim adagium eſt, *veteranam vulpem laqueo non capi.* Sponſus autem cæleſtis veros doctores hortatur ut falſos erroris revincant, & eorum ſtrophas & vulpinas verſutias, quibus credulæ plebi facilè imponunt transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, cùm ſint pſeudo-apoſtoli & operarii doloſi, in apertam traditæ ſemel ſanctis fidei lucem proferant. Has autem vulpes vult divinus ille ſponſus capi parvulas, id eſt, in ipſo ortu, & priuſquam eorum ſermo, ut cancer, latè ſerpſerit, quomodo loquitur Apoſt. 2 Tim. 2. v. 17. & florentem ſincerâ religione plebem perverterint.

Principiis obſta: Sero medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Hinc & illud Pſal. 136. *Filia Babylonis, Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.* Illas itaque vulpes à veris doctoribus, quibus id muneris incumbit, ut colant vineam Domini Sabaoth, quæ eſt domus Iſraël, vult cæleſtis ſponſus capi, de quibus vulpibus conqueritur per Jeremiam Prophetam cap. 11. verſ. 10. dicens: *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* De hoc eodem vulpium genere dicitur Ezech. 13. verſ. 4. *Quaſi vulpes in deſertis, Prophetæ tui Iſraël erant.* quæ ſcilicet per cuniculos ſubjectam terram excavant & ſuffodiunt. Quod faciebant illi Prophetæ, cùm Jeroſolymorum ruinas reparare & ſepem obducere debuiſſent, ut imminenti malo occurrerent. Eo enim reſpectu conferri cum vulpibus ſuadent ſtatim ſequentia: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini.*

Nobis. Sibi ait ſponſus & ſponſæ capiendos eſſe eos, qui divinant mendacium dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miſerit eos. Nam qui hæreticum convicit, etſi ipſum non converterit, vulpem tamen cepit, ſponſo & ſponſæ; ſponſæ quidem,

dem, quia confirmatur inde in fide; ſponſo verò, quia fortitudo ſponſæ eſt gaudium ſponſi. Vide B. Bernard. Serm. 64. in Cantic.

Vulpes. Multas eſſe in Palæſtina vulpes non ſolùm præſens hujus Dramatis, cujus Scena eſt in montibus & campis Jeroſolymitanis, teſtatur locus, ſed & factum Samſonis Judic. 15. verſ. 4. & quod multa Palæſtinæ loca aut circa Palæſtinam à vulpibus nomen habuerunt, ut terra *Sual*, id eſt terra *Vulpis* 1 Sam. ſeu Reg. 13. v. 17. Et urbs Judæ Joſue 15. v. 28. Similiter & urbs Simeonis Joſue 19. verſ. 6. & 2 Eſd. 11. verſ. 27. dicitur *Haſerſual*, & eadem Simeonis urbs dicitur 1 Paral. 4. verſ. 28. *Haſarſuhal*, quod eſt, caſtrum vulpis. Danitarum urbs *Selebin* Joſ. 19. verſ. 42. ſeu *Salebim* ut vocatur Judic. 1. verſ. 35. ubi Amorrhæi dicuntur eam occupaſſe, & 3 Reg. 4. verſ. 9. Loco laudato Judicum à Græcorum aliis redditur *Thalabin*, ab aliis *Vulpes*, & hodiè utrumque legitur in noſtris exemplaribus Joſ. 19. verſ. 11. Locus maritimus *Merala* Zabulonitarum à Syro interprete vocatur *collis vulpis*. Eandem vulpium in Palæſtina abundantiam teſtatur & illud Thren. 5. verſ. 18. *Propter montem Sion quia periit, vulpes ambulaverunt in eo.* Similiter & illud David de hoſtibus ſuis Pſal. 62. verſ. 11. *Tradentur in manus gladii, pars vulpium erunt*, ſeu ut vertunt Syrus & Arabs, *Vulpibus erunt pro cibo.* Ubi Rex ſanctiſſimus è carnivoris feris pro toto genere unam ponit ſpeciem, eámque deſpectiſſimam, quaſi ſit magis probroſum à vulpe diſcerpi & devorari, quàm à nobiliore fera. Vulpes autem eſſe carnivoras patet ex eo quod Pauſanias, Polyænus & Plinius lib. 11. hiſt. nat. cap. 37. narrat Ariſtomenem conjectum in illud barathrum prope Lacedæmonem, in quod capite damnati præcipites ex alto demittebantur, & triduum ibi commoratum per ſubluſtres tenebras vulpem vidiſſe cadavera appetentem, eámque caudâ arreptam ſecutum per opaca viarum, & cadaverum ibi jacentium oſſe confracto, quo montis anguſtias amovebat atque excindebat, tandem ex ſpecu illo evaſiſſe dias in luminis oras. Et barathrum illud ex quo evaſit Ariſtomenes dicebatur Cæadas; nempe Cæadas Lacedæmoniis idipſum fuit, quod Græcorum aliis καίατον vel καιετὸς, id eſt, locus effoſſus, vel terræ dehiſcentis ruptura, quam efficiunt terræ-motus, atque inde etiam carcer dictus eſt καιάδας, ut teſtatur Strabo lib. 8. Hujuſmodi rupturæ cùm frequentes fuerint in agro Laconico, ſunt qui Spartam inde ab Homero Iliad B. verſu. 581. & Odyſſ. D. verſu 1. dici ſtatuunt καιετάεσσαν, ubi mendosè legitur vulgò κητῶεσσαν. Verùm ut ad textum Scripturæ redeamus, operæ pretium eſt obſervare ex B. Ambr. lib. 7. in Luc. 9. Quam

aptè

aptè ſponſus cæleſtis falſos doctores ſeu hæreticos per vulpes deſignarit. *Fallax*, inquit, vulpes eſt, *animal*, *& inſidiis ſemper intentum, rapinæ fraudem exercet. Nihil tutum, nihil otioſum, nihil patitur eſſe ſecurum, quòd inter ipſa hoſpitia hominum prædam requirat. Hæreticis vulpes comparat. Vulpes enim plenum fraudis eſt animal foveam parans, & in fovea ſemper latere deſiderans. Ita ſunt hæretici, qui domum ſibi parare non norunt, ſed circumſcriptionibus ſuis alios decipere conantur. Jacob enim domum habitat, hæreticus in fovea eſt, ut fraudulenta vulpes gallinæ illi Evangelicæ dolum ſemper intendens, de qua ſcriptum eſt, Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Meritò ergo foveas habent, qui domum, quam habuerant, perdiderunt. Hoc animal neque manſueſcit unquam; unde & Apoſtolus ait: Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita. Neque ulli eſt aut cibo utile: non enim de hoc dixit Chriſtus: Meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt. Quin etiam à fructibus ſuis relegat, dicens: Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, hoc eſt, quæ minorem vineam, non majorem exterminant.* (Ubi obſerva à ſancto Ambroſ. adjectivum *puſillas* non ad vulpes, ſed ad vineas referri. Quod idem S. Doctor in Pſ. 118. octon. 11, in fine quoque facit. Verba ipſius ſunt ibi: *Meritò ſcriptum eſt in Canticis Canticorum: Prehendite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, ut vineæ noſtræ floreant. Quo oſtenditur quòd vel Dominus Jeſus, vel Eccleſia fraudulentorum dolos à vineis ſuis exterminandos eſſe præcipiant, ne pauxillulis vineis noceant, quia adultis jam viribus nocere non poſſunt. Hæreticus enim imperfectum tentare poteſt, non perfectum.) Et ideò Samſon ad caudas eorum faces ligavit, & in meſſes alienigenarum dimiſit, eò quòd hæretici fructus incendere conantur alienos, latratibus magis ſonori, quàm vocibus; qui enim Verbum negant, nec vocem habent: ad præſens ore liberi, ſed in futurum finem jam vincti, caudæ facibus ſignificantes ſui finis incendium.* Hæc Ambroſius. Magiſtro præſtantiſſimo ſuccinit præſtantiſſimus diſcipulus Eccleſiarum magiſter Auguſtinus enarrans Pſalmum octogeſimum. *Quamvis*, ait, *opinionum varietate diſcordent, ſimili tamen vanitate colligantur. In pejus iſti conſentiunt, quamvis à ſe invicem diſſentire videantur. Ideò Samſon caudas vulpium colligavit. Vulpes autem ſignificant inſidioſos, maximèque hæreticos doloſos, fraudulentos, cavernoſis anfractibus latentes, odore etiam tetro putentes.* Hæc inibi Auguſtinus interpretans hæc verba Pſ. 61. v. 10. *Ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Sic & ſub Innocentio III. celebrata Synodus Lateranenſis cap. 3. *Facies quidem*, inquit, *diverſas habent, ſed*

caudas

caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Nempe ut optimè advertit B. Isidorus Hispalensis in fine cap 5. lib. 8. Etymol. *Hæreses dum inter se multis erroribus divisæ invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant.* Sed vanum est hoc omnium hæreticorum consilium, cùm portæ inferi non sint contra Dei Ecclesiam prævalituræ. Vide Commentarium nostrum in Mat. 16. v. 18. Potest etiam dici quòd quia hæreticus violat fœdus cum Deo initum & juratam illi fidem frangit, assimilatur vulpi, quæ, ut observat Rabbi David Kimchi in Jud. 15. ex Talmudicis, retrocedere & in adversum ire solet, id est, ut R. Salomon in glossa interpretatur, כשצרק אותו אצו מרחיק לברוח אלא חוער עלקלות *Cum venatores insectantur vulpem, non ea fugiendo rectà procurrit; sed per multos et varios anfractus discursat.* Cui non absimile est quod ait B. Isidorus lib. 12. orig. cap. 2. *Vulpes dicta quasi volupes; est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit.* Hinc & Nonnius, *Vulpinari dictum est fraudibus & mendaciis vera pervertere, vel effingere. Dictum ab inrecto, seu intorto vulpium cursu.* Aristoteles lib. 1. Hist. Anim. cap. 1. vulpes recensèt inter animalia callida & malefica. Ælianus lib. 4. Hist. cap. 39. ait eas attigisse summum malitiæ & fraudis fastigium. Hinc Horatius de arte Poëtica,

Nunquàm te fallunt animi sub vulpe latentes,

Et Persius satyrâ quintâ,

Astutam rapido servas sub pectore vulpem.

Demoliuntur vineas. Vulpes uvis maximè delectantur, unde illud Nicandri in Alexipharmacis versu 185.

Cùm pingui nocuit vulpes versuta racemo.

Et illud Theocriti Idyll. 10. in caprarii populo secundum elegantem versionem Heinsii.

Area purpureis pulchrè circumdatur uvis,
Quam puer exiguus residens custodit in horti
Sepibus. Nunc circum vulpecula bina racemos,
Altera percurrens depascitur, &c.

Idem videre est apud eundem Theocritum Idyll. 5. Varronem lib. 1. Rustic. cap. 8. Galenum lib. 3. de alimentorum facultatibus cap. 2. Hinc orta fabula omnibus nota de vulpe & uva, quam Phœdrus sic expressit,

Fame coacta vulpes alta in vinea
Uvam adpetebat, summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

Alteram

Alterum ſponſæ ſomnium.

16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia;

17. Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum ſuper montes Bether.

EXPLICATIO.

16. *Dilectus meus mihi.* Id eſt, ſponſus meus mirâ dignatione me amando prævenit.

Et ego illi. Id eſt, & ego dilecta vicem rependo, adeò diligens eum, qui totus dignatur eſſe meus, mihíque intentus, ut tota ſim illius contemnens omnia proſpera & adverſa mundi pro ipſo, nec mori formidem pro dilectione ejus. Hæc ſponſæ verba veram continent Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ vocem, quæ dum ſollicita ſatagit & anxia eſt ut placeat Chriſto, nec ullâ rerum difficultate ab hoc propoſito poteſt deterreri, ipſum Chriſtum ad ſe convertit ut ſit Deus ejus. ut enim præclarè B. Baſilius pro more ſuo in id Pſ. 29. *Domine Deus noſter clamavi ad te & ſanaſti me.* ὁ πάντων Θεὸς ὁ Θεὸς, ἀλλὰ τῶν οἰκειουμένων αὐτῷ διὰ τῆς ἀγάπης, &c. *Non omnium Deus eſt Deus, ſed eorum propriè qui charitate ſunt ei conjuncti, ut Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob. Si enim omnium eſſet Deus, non utique ſejunctum illis teſtimonium reddidiſſet, quaſi aliquid eximium. Et Jacob dicebat: Auxiliatus eſt tibi Deus meus. Et Thomas rurſus, ubi certò didicit reſurrectionem, Dominum complexus ait: Dominus meus, Deus meus. Eſt itaque vox iſta, Domine Deus meus, plena affectu fiduciæ, & conveniens ſtatui prophetico.* Mutuum autem Chriſti & Eccleſiæ amorem luculenter ſanè Sermone in Synodo expreſſit Arnulphus Lexovienſis aureis his verbis: *Dilecta dicitur* Eccleſia, *quia diligit & ipſa; neque enim diligeretur, niſi diligeret: ipſe enim niſi diligentes ſe non diligit. Ego,* inquit, *diligentes me diligo. Prævenit tamen diligendo, quoniam ipſe prior dilexit nos, ſed ad hoc diligit, ut diligentes faciat. Niſi enim qui diligitur mutuâ ei dilectione reſpondeat, divinæ revocatur dilectionis affectus. Verùm quanta inter ipſum & diligentem ſe diſcurrat alternæ charitatis affectio, difficile nobis, imò impoſſibile eſt explicare, quoniam nec ipſius Salomonis*

monis sapientia id perfectè nobis enarrare potuit; licèt diligentissimè fuerit prosecutus inter eos modò complexus & oscula, modò aromata & unguenta, modò languorem spiritûs, modò animæ defectum, modò ferventem curiosæ æmulationis zelum, modò delicatum teneræ compassionis affectum.

Qui pascitur inter lilia. Sponsa videt in somnis sponsum inter lilia pernoctantem; seu Ecclesia sub Lege contemplatur desponsatum sibi Deum regnantem interagmina beatarum mentium virtutibus & gloriâ candida, dum plerique ipsiusmet Ecclesiæ filii detinentur in profunda ignorantiæ nocte & obscurissima vitiorum caligine.

17. *Donec aspiret dies & inclinentur umbræ.* Eleganti periphrasi exprimit sponsa, quod simplicibus verbis dicere potuisset, donec diescat; quod in ore Ecclesiæ sub Lege significat, donec oriatur lux Evangelii, cujus incrementis usus umbrarum, seu Legalium ceremoniarum abrogetur, & opera tenebrarum abjiciantur, ut ambuletur honestè sicut in die.

Revertere, &c. Sponsa seu Ecclesia sub Lege, quæ primò somniabat sponsum sibi præsentem, séque post parietem per cancellos aspicientem, in altero somnio ipsum videt à se recessisse ut inter lilia commoraretur; unde illum enixè rogat ut ad se non ingratam summi illius beneficii, quo ipsam sibi desponsavit, & confortem suarum diviriarum benignè & misericorditer facere promisit, quàm velocissimè revertatur.

Revertere, similis esto, &c. Id est, revertere tantâ celeritate, ut similis videaris capreæ & hinnulo cervorum supra montes Bether currentibus, quibus nullum animal est pernicius, ut expressè habet Xenophon in Cynegetico de cervi hinnulo.

Montes Bether. Hi montes ut & montes *besamim*, aromatum, qui in hoc sacro Dramate hinnulo pro statione assignantur, fuerunt Judeæ loca hodiè nobis ignota. Est autem mons *Bether*, mons *scissionis*, & videtur ita dictus propter scissuras terræ, quæ fiunt imbrium violentiâ, hócque voluisse Græci, qui reddunt ὄρη κοιλωμάτων, id est, *montes cavitatum*. Sunt, qui malunt κυκλωμάτων, quæ lectio si potior esset, dicerem illos in textu Hebræo legisse montes בתר *Cether*, non *Bether*, quia בתר *Cether corona* est κυκλοειδὴς; & montes *coronæ* vocari potuisse montes, quibus Jerusalem tanquam coronâ, cincta erat circumquaque, Ps. 124. Heb. 125. v. 2.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Sponsa expergiscitur à somnio & comites alloquitur.

1. IN lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, & non inveni

2. Surgam, & circuibo civitatem : per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, & non inveni.

3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea, vidistis ?

4. Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

EXPLICATIO.

1. *IN lectulo, &c.* Narrat sponsa comitibus suis quomodo per noctem somniarit sponsum præsentem, séque alloquentem, & frustrà per thorum huc illuc manus contulerit, & brachia ultrò citròque moverit, ut ipsum sibi in primis charum amplecti niteretur. Sic frustrà dicit Ecclesia à se in litera Legis quiescente omnes adhibitos fuisse conatus ad sponsi dilectissimi amplexus sibi conciliandos per Legales ceremonias & umbrabilem Dei cultum. Contigit sponsæ, quod amore captis contingere soset. Amores absentes animo pertinaciter illis obversantur ; colloquia, vigiliæ, insomnia, offendicula queque inveterati doloris suavissimam memoriam refricant ; lumina sua errabundi quæritant, obvios quosque an eis occurrerint, sciscitantur, ut apud Ovidium conjux castissima,

Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.

2. *Surgam, &c.* Q. d. cùm viderem frustrà à me quæsitum noctu per cubile, quem diligit anima mea, decrevi surgere, statimque

timque me propipui è thalamo, ut dilectum sollicitè quæsitura per totam urbem vagarer; nec tamen tam sollicitè quæsitus à me est inventus. Sic Ecclesia videns se in litera Legis nihil proficere ad accelerandum sponsi sui adventum, à litera occidente erigere se cœpit ad spiritum vivificantem, (qui aptè dicitur civitas, quia in eo convenit Legis & Evangelii civium unitas) & sic percurrens obscurissima, & planissima quæque sacræ Scripturæ loca multùm quidem profecit, nec tamen sic statim, quem quærebat Christum invenit, ut non inventus ardentiùs quæreretur, & sponsa tarditate suâ capacior reddita multipliciùs quandoque inveniret quod quærebat, Vide B. Greg. Mag. 5. Moral. cap. 4.

3. *Invenerunt me vigiles, &c.* Hinc conjici potest quòd cùm Salomon hoc sacrum Drama conscriberet, non omnimodâ pace frueretur; vix enim fit verisimile toto regno in pace compositò custodes urbem lustrasse per noctem eâ diligentiâ, quâ lustrarent si bellum ferveret. Salomon autem profundâ pace non est poritus, nisi subjugatis reliquiis gentium Israëlitis vicinarum, quibus ipsi Israëlitæ pepercerant. Ecclesia itaque dicit in hoc versiculo se in scrutandis Scripturis inventam ab habentibus clavem Scientiæ doctoribus, petiisse num Sponsum dilectum inter ejusdem lectionem deprehenderint, ut sibi earum sponsi amore velut œstro percitæ latibula ipsius omnia lustratur nuntiarent, quandónam nuptias promissas esset celebratius per magnum & ineffabile Incarnationis sacramentum.

4. *Paululum cùm pertransissem, &c.* Hæc secundum literæ sonum facilia sunt intellectu. De Ecclesia verò sic exponuntur à sancto Greg. Magno 18 Moral. cap. 27. *Cùm Redemtorem suum Ecclesia quæreret, in antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit, Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; illum quippe invenire non posset, si istos transire noluisset.*

Tenui eum. Brachiis charitatis, & quibusdam fidei & devotionis lacertis, ut loquitur B. Ambr. in Ps. 47.

Nec dimittam. Omnis enim qui quærit invenit, & qui invenit adhærere debet, ne possit amittere, ut loquitur idem S. Doctor. in lib. de Isaac & anima cap. 5. Tenetur autem sponsus cordis custodiâ, orationis instantiâ, & nunquam interrupto devotionis fervore.

Donec introducam eum in domum, &c. Id est, donec eum introduxerim in locum ad mutuos exhibendos amores maximè commodum, in quo concepta ac genita sum. His verbis negat Ecclesia se sponsum inventum dimissuram priùs, quàm simul ingrediantur

grediantur in cœleſtem Jeruſalem, quam Apoſtolus Gal. 4. v. 26. appellat matrem omnium noſtrûm. Ita. B. Theodoretus.

Sponsâ præ nimio gaudio de inventione & fruitione ſponſi omni ſtudio quæſiti in extaſim incidente dicit Sponſus :

5. ADjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas cervóſque camporum ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

EXPLICATIO.

DE ſenſu hujus verſiculi vide quæ diximus ſuprà cap. 2. verſ. 7.

Chorus Paſtorum.

6. QUæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii ?

7. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël :

8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi : uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani :

10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum : media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.

11. Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

EXPLICATIO.

6. *Quæ est ista, &c.* Q. d. Unde Virgo ruri nata educatá que tam speciosam corporis staturam, támque suavem nacta cit odorem, ut haud absimilis videatur sumeæ columnæ rectà ascendenti ex suffitu myrrhæ, thuris, aliorúmque omnium id genus aromatum? Hac pastorum admiratione adumbrantur Angeli demirantes Ecclesiam, quæ per quotidianum profectum instar fumi ex virtutibus erumpentem ad perfectiora, sublimioráque sursùm contendit; nec vago quodam & erratico hac & illac fluxu dispergitur, sed collectis viribus virgulæ seu columnæ instar ad Deum ascendit; unde B. Greg. 1 Moral. cap. 30. *Sancta*, inquit, *Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit, quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit.* Visibilia omnia fastidit, mentem in cœlestia attollit, nihilque aliud optat ac studet, quàm sponso sùo sese per intimos cordis affectus adjungere, in eóque solo delectari ac pasci.

Per desertum. Lxx. *è deserto.* Donant autem Hebræi rus deserti nomine per respectum ad oppida & civitates populosas.

Virgula fumi. Thymiama olim apud Judæos ex præscripto Legis in honorem Dei conflagratum igne emittebat fumum, qui ad superiora rectus ferebatur & immutatus, idcircò virgulæ, aliàs columnæ æquiparatus. Quapropter inter miracula Templi decem, quæ numerantur in *Pirkè Avoth.* c. 5. recensetur quòd quantâcumque ventorum vi agitaretur atque turbaretur aër, non impediebat quin illi columnæ & virgulæ fumi rectà iter ad cælum esset.

Universi pulveris pigmentarii. Thymiamatis compositionem ingredientia aromata singula in pulverem tenuissimum contusa oportebat, & posteà ubi thymiama confectum erat, non integra solidáque adolebatur confectio, sed redacta subtilissimum in pulverem, ut videre est Exod. 30. Observat autem Philo Carpathius ad hunc sacri Cantici locum, quòd *pigmenta sunt virtutes in corde collectæ, quæ quidem tunc pulvis pigmentarius fiunt, cùm diligenti judicio sigillatim recensentur, & mentis acrimoniâ quasi pistillo conteruntur, ne qua rudis adhuc ac crassa incultáque omninò affectio, sub virtutis nomine vitium revera fiat ac scelus.*

7. *En lectulum Salomonis, &c.* Q. d. Sponsa ista est magnificentissimi sponsi thalamus genialis, quem ipse adeò magnificavit

cavit, ut in eo mirificè delectetur, & eum custodiâ prorsus regali stipare dignetur. Lectulus ille, quo Rex pacificus super omnes Reges universæ terræ magnificatus per Salomonem adumbratus incredibiliter delectatur, est Ecclesia sancta, quæ utpote donata & ornata donis & gratiis cœlestibus, dicitur lectulus floridus; hanc contra pericula, quæ à principibus tenebrarum excitantur, circumvallavit precibus & exemplis, vigiliis & exhortationibus virorum quamplurimorum sanctitate & eruditione præstantissimorum.

Sexaginta. Id est, quamplurimi; ponitur enim numerus definitus pro indefinito.

8. *Omnes tenentes gladios.* Id est, omnes sunt idoneis armis instructi.

Doctissimi. Id est, exercitatissimi.

Uniuscujusque ensis, &c. Id est, unicuique in promtu sunt arma, queis tueatur Salomonis lectulum contra maxima quæque pericula.

Propter timores nocturnos. Id est, propter ingentia, quæ imminent pericula. Timores vocantur pericula, quia timenda sunt; nocturni verò dicuntur, quia noctu crebriora & majora sunt pericula, quàm interdiu. Salutis autem pericula cùm à rectoribus tenebrarum excitentur, meritò timores nocturni nuncupantur. Hac metonymiâ, quâ res expavescenda & timenda dicitur timor, Deus ipse Genes. 31. v 42. & in precibus Judæorum appellatur *timor Isaac.*

9. *Ferculum, &c.* Pro ferculo Hebraicè est אפריון, à verbo פרה, fructificare, q. d. fœcundum sponsæ thalamum, lecticam, gestamen, carrucam, quâ deferuntur sponsæ, ut scribit Rabbi David, & meritò; scimus enim apud veteres in usu fuisse ut nova nupta curru equitans traduceretur, quod in Scuto Herculis describit Hesiodus. Eo autem curru nuptiali tres tantùm vectari solitos scribit Pausanias; nimirum sponsam, quæ sederet in medio, sponsum, & paranymphum, qui annulum maritalem tradit. Hujusmodi carrucam dicitur fecisse Salomon, hoc est, ad laudem nominis sui Christus, ut scilicet eâ traduceret sponsas sibi charissimas ad thalamum cœlestium gaudiorum. Tota hæc carruca structa est ex lignis Libani, cedris videlicèt incorruptibilibus, id est, sanctis undique stantibus incorruptibilitatem, & vivificantibus animas, ut exposuit S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 11.

10. *Columnas, &c.* Argentum est puritas, vel claritas verbi, quo fulgent Ecclesiæ columnæ, seu Doctores.

Reclinatorium. Id est, lectulum in quo recumbant, ex auro struxit. Aurum charitas est Christi.

Ascensum purpureum. Id est, ephippium, stragulum, aulæum, operimentum lecti, est sanguis Christi splendescens quasi purpura, quâ nobilitatur & accenditur Ecclesia in amorem sponsi.

Media. Id est, interiora ferculi spatia.

Charitate constravit. Id est, ornavit rebus per se amabilibus, scilicet, donis Spiritus-sancti.

Propter filias Jerusalem. Id est, ut sponsas sibi charissimas alliceret, & magnetis instar traheret.

11. *Egredimini, &c.* Q.d. Prodite filiæ Sion è gynecæis vestris visuræ Salomonem matris sollicitudine coruscantem nuptiali coronâ. Antiquissimi autem esse moris quòd sponsæ coronantur, ut alia taceam, docet corona Ariadnes, ex auro & Indicis gemmis ipso die nuptiarum illi à Venere indulta, & deinceps in cœlum translata. Vide Aratum, & Germanicum, & Festum Avienum in phænomenis, & Hyginum lib. 2. & Tert. de corona militis cap. 7. & 13. & Claudianum lib. 2. de raptu, ubi agens de Proserpina quæ caput floribus redimiebat paulò ante raptum, ad hunc morem ita alludit.

———seséque ignara coronat,
Augurium fatale thori.

Ad hunc pariter morem alludere videtur Ezechiel cap. 16. v. 12. & hîc Regum sapientissimus, ubi Angelos inducit hortantes Judæos, ut egressi de umbris Legis speculentur in Lege adumbratum Christum undique lapidibus vivis circumdandum ex quo lætus sibi Ecclesiam conjugem fecerit. Hac autem fidelium coronâ dicitur Christus redimitus sollicitudine matris, id est, eorum qui voluntati & nutui Divino in salute animarum curanda sunt obsecuti. Ut enim ait B. Greg. hom. 3. in Evang. *Qui Christi soror & frater est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & mater ejus prædicando efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur.*

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Sponſus adveniens ſponſam alloquitur.

1. QUàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

2. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

3. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecùs latet.

4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5. Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.

6. Donec aſpiret dies & inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.

7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

8. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

10. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa! Pulchriora ſunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

11. Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua : & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus : cypri cum nardo.

14. Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.

15. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

EXPLICATIO.

1. *Quàm pulchra es, &c,* Quatenus sponso placet sponsa, seu Christo Ecclesia, sic ille omnia & singula laudat ejus bona.

Oculi tui columbarum. Vide quæ diximus suprà cap. 1. vers. 15.

Absque eo, quod intrinsecùs latet. Sensum per paraphrasin reddit Vulgatus interpres, non verba, quæ Hebraicè sonant ex sententia Rabbinorum Jarchi & Jonæ, *intra vittam* seu *velum.* Has itaque sponsi voces sic intellexit Vulgatus interpres, ac si diceret sponsus : Omitto eximium illud gratiæ, quod in ipsis oculis latenter emicat intra velum, quo opertâ facie incedis. Verè autem dicitur de Ecclesia Christi sponsa dum laudatur, plus esse id quod intrinsecùs laret soli Deo notum, quàm quod extrinsecùs hominum oculis apparet. In eundem sensum cum Vulgata versione incidunt versiones Græcæ, *extra silentium tuum* seu *taciturnitatem tuam.*

Capilli tui sicut greges caprarum. Sponsæ capilli non capris in genere, sed caprarum pilis assimilantur. Valdè autem frequens est in Scriptura, cùm de capris agitur, ellipsis vocis *pili*, ut videre est in textu Hebræo Exod. 25. v. 4. 26. v. 7. 35. v. 26. quibus in locis Vulgatus interpres vocem *pili* Hebraicè subauditam sua in versione expressit. Caprini autem in Oriente pili humanis non sunt prorsus absimiles, unde est quòd in Apulei Asino aureo lib. 3. Photis, cùm non potuisset Bœorii juvenis

juvenis capillos apud tonsorem surripere, prout à domina jussa fuerat, quia tonsor prohibuerat id scelus : *Cùm tristis*, inquit, *inde discederem*, *ne prorsus vacuis manibus*, *conspicio quendam forficulis tondentem caprinos utres* ; *quos cùm probè constrictos*, *inflatósque*, *& jam pendentes cernerem*, *capillos eorum humi jacentes*, *flavos*, *ac per hoc illi Bœotio juveni consimiles*, *aufero*, *eósque dominæ meæ dissimulatâ veritate*, *trado*. Tale est quod Ælianus hist. lib. 15. cap. 30. ex Callisthene Olynthio refert, *in Lycia capras esse hirsutissimas*, *& egregiis villis*, *ita ut ab iis cincinni*, *& quasi quidam comarum cirri dependere videantur*. Proinde galericuli ex hœdina pelle confecti ad dissimulandam calvitiem ita meminit Martialis lib. 12. Epigram. 45.

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticésque calvæ.

Et Rebecca hœdinis pellibus texit Jacobi collum & manus Gen. 27. v. 16. ut haberetur pro fratre Esaü, qui hirsutus erat toto corpore. Sic & Michol 1 Sam. seu Reg. 19 v. 13. viri sui cæsariem quomodocunque imitari conata est mollioribus illis & tenuioribus caprarum pilis, quos posuit ad caput statuæ à se prò viro suo Davide elapso in lecto positæ. Nihil autem mirum quòd Michol in promtu habuerit hujusmodi caprarum villos, cùm illorum temporum matronæ inter cetera nere discerent pilos caprarum, ut patet ex Exodo cap. 35. v. 25. & 26. Meritò itaque B. Greg. Nyssen. Hom. 15. in Cantic. pilos in presenti sacri Dramatis loco, quo de agimus, in capra respici animadvertit, *Caprinum*, inquit, *animal ad capillorum laudationem ideò fortasse sumtum est*, *quod hujus natura idoneè ad pilorum laudationem comparata sit* : *ita ut ornamenti*, *quod in capillis situm est*, *imago quædam sit hoc animal*, *cùm densis pilis sit naturaliter hirsutum*.

Quæ ascenderunt de monte Galaad. Hanc versionem præter Græcos, & Syrum & Vulgatum interpretem, Arabica insuper & Chaldaica lingua confirmant. Neque verò frustrà dicuntur sponsæ capilli similes esse caprarum villis, cùm ascendunt, non cùm descendunt, quia capræ cùm ascendunt, longiores illi villi sunt in naturali situ ; at cùm descendunt, iidem reflectuntur, & invertuntur, quod minùs decorum est. Unum est, quod possit opponi, nimirùm, id non quadrare, ut capræ dicantur ascendere è monte Galaad ; etenim, ut ait Aponius hìc hærens lib. 6. in Cantic. *De monte descendere dicitur*, *& in montem ascendere*. Sed duo sunt, quæ respondeam ; primò etiam de monte ascendi, nempe è monte inferiore ad alterum superiorem, vel ex ejusdem montis partibus inferioribus ad alias superiores. Sic qui ex Alpium, Pyrenæorúmve mediâ parte ad cacumen

cacumen enititur, dici poteſt è monte aſcendere. Itaque ut verum ſit, quod à Brocardo aſſeritur, montem Galaad vicinorum omnium eſſe altiſſimum, & ut reliquorum caput ob ſui eminentiam, tamen ex illo monte capras aſcendere dixeris, cùm illius partem emenſæ nituntur ad faſtigium. Secundò poteſt hîc eſſe verborum trajectio, ita ut illa intelligas quaſi hoc ordine ſita ſint, *Capilli tui ſicut greges capravum de monte Galaad, quæ aſcenderunt*, nempe, ad illum montem. Hujus trajectionis exempla non infrequentia ſunt in Scripturis ſacris, ut Pſal. 67. v. 25. *Ut intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis*, ordo eſt, *ut intingatur pes tuus in ſanguine ex inimicis & lingua canum tuorum.* Et rectè dicitur *caprarum de monte Galaad*, quia regio fuit paſcuis abundans, unde Galaad dicitur Num. 22. v. 1. *Apta animalibus alendis terra.* Et Mich. 7. v. 14. *Paſcentur Baſan & Galaad juxta dies antiquos.* Et Jerem. 50. v. 19. *Paſcetur Carmelum & Baſan, & in monte Ephraim & Galaad ſaturabitur anima ejus.* Quin ut terra Baſan ovibus, ita terra Galaad eſt capris aptior; quia montoſa & ſylvoſa eſt. Dioſcorides lib. 2. in capite de lacte, capras paſci dicit, quercu, lentiſco, oleâ, & terebintho; ejuſmodi arboribus ſcatent montana Galaad. Reſiniferas ſaltem arbores, quales ſunt lentiſcus, & terebinthus, in his locis non defuiſſe docent ſacri Scriptores, qui reſinæ de terra Galaad non ſemel meminerunt. Vide Gen. 38. v. 25. & Jerem. 8. v. 22. & 46. v. 11. Præclarè autem hæc à ſponſo facta capillorum ſponſæ commendatio quadrat in Eccleſiam Chriſti ſponſam; ut enim ait B. Theodoretus: *Capilli ea quodam modo ſignificant, quæ ſponſæ haud ita ſunt neceſſaria, quæque ad corpus pertinent; vitâ enim ac ſenſibus capilli carent: quaſi dicat: In negotiis etiam humanis, in quibus non poſſumus, non implicari, te laudabiliter, decoréque gerís, caprarum gregi videris ſimilis, qui paſcitur in Galaad, & propter altitudinem inſignis.*

2. *Dentes tui*, Scilicet albi, æquales, & inter ſe coaptati.

Sicut grex tonſarum. Heb. *ſuccisarum* ſeu *dedolatarum.* Q. d. Dentes tui candore, proportione & ſymmetriâ non ſunt abſimiles gregi ovium tam ſimilium, quàm ſi ex ligno aut ære ad eundem typum effictæ fuiſſent & ſucciſæ, ſeu fabrefactæ. Hinc Pagninus optimè vertit ex textu Hebræo, *Dentes tui ut grex ovium æqualium.* Porro in dentibus maximè laudatur mundities ſeu candor & proportio. Hinc in Imaginibus Lucianus: *At ſubridendo, Polyſtrate, dentes oſtendebat. Quomodo dixerim tibi quàm albos, quàm æquales, & inter ſe coaptatos? Sicubi monile pulcherrimum vidiſti ex nitidiſſimis, & magnitudine paribus margaritis: adeò concinnâ ſerie erant nati.*

Quæ

Quæ aſcenderunt de lavacro. Comparat ſponſus ſponſæ ſuæ dentes eleganti ſymmetriâ inter ſe coaptatos non modò gregi ovium ſtaturâ & menſurâ æqualium, *ac ſi unaquæque cæſa fuiſſet ad inſtar ſociæ ſuæ*, ut loquitur Aben-Ezra, verùm etiam eoſdem dentes ratione nitoris & candoris omnis immunditiæ expertes aſſimilat earumdem ovium gregi recens lauto.

Omnes gemellis fœtibus, &c. Quaſi diceret, dentes tui, ò pulcherrima ſponſa, omnis immunditiæ expertes tam æquales ſunt, æqualitérque perutiles, ut eos intuens intueri mihi videor gregem ovium tam perfectè inter ſe æqualium, & æqualiter perutilium, *ac ſi æqualiter juiſſent ſucciſæ*, ut loquitur in Lexico Kimchius. Extare oves gemelliparas expreſsè teſtatur Ariſtoteles Hiſt. Anim. lib. 6. cap. 19. & qui in Mirabilibus tradit Illyricanas oves non modò eſſe gemelliparas, ſed & biferas, id eſt, bis in anno parere. Oves gemelliparas Græci δίκυμα, priſci Romani *ambegnas* vocant. Fulgentius in libello de priſco Sermone ad Chalcidium cap. 6. *Bebius macer, qui Faſtos dies ſcripſit, ait Junonicas, quæ geminos parerent, oves ſacrificari cum duobus agnis altrinſecùs alligatis; quas oves ambegnas vocari, quaſi ex utraque parte agnos habentes.* Hanc ovium fœcunditatem Greci ad Apollinem Nomium referebant. Proinde Callimachus Hymno in Apollinem petit, ut ejus beneficio, *quæ unipara erat, gemellipara repentè fiat.*

Sterilis non eſt inter eas. Hebraicè ad verbum, *quæ abortiat non eſt in iis.* Quaſi diceret, Nulla eſt in univerſo illo ovium grege, cui dentes candidulos ex omni parte decoras & perutiles aſſimilavi, quæ non ſit utiliſſima. Eleganter autem per dentes ſponſæ adumbrantur Eccleſiæ Doctores, *qui*, ut ait S. Greg. Nyſſ. Hom. 7. in Cantic. *in Eccleſia uſum dentium in comminuendo dogmatum difficultates exercent; Dum enim*, ut loquitur S. Greg. Magnus, *ſacram Scripturam exponendo minoribus fratribus dilucidant, quaſi panem parvulis, tanquam matres filiis commaſticant, quo infirmi ad fortia convaleſcant.* Hi depoſito veteri homine Jeſum Chriſtum induti unitate fidei, ſpei, charitatis & doctrinæ ſic ſunt undecunque æquales, ut meritò comparentur gregi ovium divinâ quadam arte ad perfectam ex omni parte æqualitatem efformatarum. Nullus horum Doctorum Eccleſiæ inutilis eſt, cùm omnes pro virili geminam Dei & proximi dilectionem in cordibus fidelium parturiant.

3. *Sicut vitta, &c.* Q. d. Labia tua jugi purpurâ flagrant adinſtar vittæ coccineæ, ſermóque tuus apprimè urbanus ac venuſtus eſt. Aſſimilantur autem labia Eccleſiæ vittæ coccineæ, quia Dominici ſanguinis pretium, quo redemta eſt, prædicare non ceſſat, hæcque prædicatio omni acceptione digna auditores

in

in ardentissimam Dei dilectionem suaviter, fortitérque simul abripit.

Sicut fragmen, &c. Sensus est, in genis tuis non minùs elucet venustatis, quàm in fragmine mali punici, quod rubentium granorum splendore mirè decoratur. Commendatur autem hîc verecundus ille rubor, quo, qui genarum instar in Ecclesiæ facie manifesti apparent, ne iram Dei provocent elati, salubriter de propria infirmitate erubescunt.

Absque eo quod intrinsecùs latet. Vide superiùs dicta v. 1. Solent amantes à pulchris manifestis membra tecta pulchriora judicare. Sic Apollo apud Ovid. 1. Metam. Daphnidis seminuda ad lacertos brachia videns, latentem illorum partem pulchriorem reputabat.

Spectat inornatos collo pendere capillos:
Et quid si comantur? ait. Videt igne micantes
Sideribus similes oculos, videt oscula quæ non
Est vidisse satis. Laudat digitósque, manúsq;
Brachiaque, & nudos mediâ plus parte lacertos.
Siqua latent, meliora putat.

4. *Sicut turris David &c.* Turris David dicitur Templi Jerosolymitani turris; ædificium quippe Templi potiùs est Davidis, qui partis de hostibus victoriis, effusóque sanguine opes acquisivit; ingenti solertiâ ligna & lapides præparavit, ac tandem Dei manu ac beneficio singulari descriptiones ejus ac leges accepit, & filio cuncta opera exequenda distribuit: quàm ipsius Salomonis, qui jussa paterna executus est.

Collum tuum. Sc. rectum, rotundum, congruenti proportione procerum, & monilibus baccatis circumdatum. Collum Ecclesiæ dicuntur ipsius pastores, quorum præcipuum munus est verbi Dei prædicatio; unde S. Greg. Naz. orat. 1. αὐτὸ τὸ λόγου διανομὴν λέγω τὸ πρῶτον τῶν ἡμετέρων. *Ipsam verbi distributionem dico nostrum omnium primum officium.* Et Zonaras ad Canonem Apostolicum inter probatos à Græcis 38. ait Χρέος ἀπαραίτητον παντὶ ἐπισκόπῳ τὸ διδάσκειν. *Docere est officium cuivis Episcopo irrecusabile.* Unde Synodus vulgò Relaticina, seu in urbe Regia Ticino congregata anno DCCC. L. sub Leone IV, *Ut Episcopi Canonicas Scripturas & sancta dogmata jugi meditatione discutiant, & Presbyteris ac Clericis suis subtiliùs tractando & differendo, occultos sacrarum literarum thesauros aperiant, populis verò juxta ipsorum capacitatem Dominicis & festis diebus verbum prædicationis impendere non negligant. Quòd si quis se deinceps ab hac observatione, & ab his quæ superiùs sunt statuta, subtraxerit: tanquam proprii desertor officii divinis legibus subjacebit.* Pastores itaque collo

designantur

designantur, primò quia in corpus Christi mysticum cibum verbi Dei transmittunt. Secundò quia vocem divinæ voluntatis enuntiativam ovibus suis proferunt. Tertiò quia mediatores sunt inter summum Pastorem & Episcopum animarum Jesum, & commissas sibi animas, & quasi Christum caput, cujus Vicarii sunt, corpori suo, id est, Ecclesiæ conjungunt. Hi ergo propter fortitudinem & excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem turri assimulantur, *quæ turris*, ut loquitur B. Greg. Magnus, *David esse dicitur, quia David manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cujus est quicquid forte, & excelsum operantur. Cum propugnaculis turris Davidi ædificata dicitur : quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse est, miraculis armantur : Contra autem vitia clypeis se muniunt : quia ne spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet, quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hostes strenuè superare valeat. Mille autem hîc pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri perfectè complentur.* Non possum hîc prætermittere Gregorii Nazianzeni monitum pro pastoribus animarum. Νόμον, inquit, Orat. 32. τίθημι πᾶσι τῶν ψυχῶν οἰκονόμοις, καὶ τοῦ λόγου ταμίαις μήτε τῷ σκληρῷ τραχύνειν, μήτε τῷ ὑπεσταλμένῳ κατεπαίρειν, ἀλλ' εὐλόγους εἶναι περὶ τὸν λόγον, μηδ' ἑτέρῳ τὸ μέτρον ὑπερβαίνοντας. Quæ sic vertit doctissimus Billius. *Cunctis animarum dispensatoribus, rectæ doctrinæ arbitris legem statuo, ut nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per summissionem elatos & insolentes efficiant ; sed prudenter & consultè in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatem excedant.* Synodus Lateranensis quinta sub Leone decimo notat in sessione undecima quòd diversi concionatores officii sui immemores, cùm ipsis incumbat populum ædificare, virtutes inserere, vitia evellere, Deúmque, & non se ipsos prædicare, & Christi gloriam promovere, prædicant tamen in primis ad propriam ostensionem. Secundò errores contra sacram Doctrinam serunt. Tertiò Scripturas depravant & distorquent ad vanas interpretationes à sanctis Patribus & probata Ecclesiæ intelligentia alienas, aut etiam iisdem prorsus contrarias. Quartò mala propediem eventura vel comminiscuntur, vel ab aliis accepta populo prænunciant ad vanos terrores excitandos : qui mox vertuntur in scandalum & derisum, verbíque Dei contemtum. Quintò conficta miracula enuntiant. Sextò in sacros Pontifices & Ecclesiarum Prælatos audacter & temerè invehuntur. Hos omnes defectus Leo X. approbante Concilio districtè prohibet & contravenientes subjicit excommunicationi,

cationi, cujus absolutio extra periculum mortis uni reservatur Romano Pontifici.

Omnis armatura fortium. Quâ nempe hostes devicerant, & præclara facinora gesserant. Usitatum enim erat Palæstinis & Phœnicibus arma, quibus hostes devicerant, in locis publicis asservare quasi victoriæ trophæa, quæ pietatem colentes Deo suo in templis offerebant : sicut de gladio, quo David percusserat Philistæum, scriptum legimus 1 Sam. seu Reg. 12. & Jos. 15. Antiq. cap. 14. ait : *Circum Templum affixa erant spolia barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicavit, additis etiam recentibus Arabicis.* Quod quidem trophæum non in Templo, sed in monte fecisse scribitur Saül repulsus à Deo 2 Sam. seu Reg. 15. v. 12.

5. *Duo ubera tua, &c.* Ut capræ domesticæ, ita etiam feræ, capreæ putà, rupicapræ, &c. quandoque sunt gemelliparæ. Quod etiam de cerva testatur Philosophus Hist. lib. 6. cap. 29. Neque frustrà est, quòd sponsæ ubera non cum hinnulis modò, sed & cum geminis hinnulis conferuntur. Nam ut duo ubera sunt simillima, ita similes ferè sunt, qui gemini nascuntur. Hinc Plautus in Menæchmorum prologo,

Ei nati sunt filii duo gemini,
Ita formâ simili pueri, uti mater sua
Nec internosse posset, quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat.

Et Cyclops Galateæ metamorphoseos lib. 13. fab. 8.

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Interse similes, vix ut dignoscere possis.
Villosæ catulos in summis montibus ursæ.

Proinde dixit Homerus Iliad. Π'. ut refert Plutarchus in consolatione ad Apollonium, *Somno & morti geminis, ita eorum similitudinem quasi ob oculos ponens. Nam in iis, quæ gemina sunt, maximè se prodit similitudo.* Itaque Latinè *geminum* & *gemellum* pro *simili* rectè dixeris, ita enim veteres passim usurpant. Pacuvius in Hermiona apud Nonnium,

Par fortitudo, gemina confidentia.

Catullus in Mamurram & Cæsarem.

Morbosi pariter, gemelli utrique.

Horatius Sat. 3. lib. 2.

———*par nobile fratrum*
Nequitiâ, & nugis, pravorum & amore gemellum.

Et lib. 1. Epist. 10.

———*hac in re scilicet una*
Multùm dissimiles, ad cetera penè gemelli.

Cicero partit. Oratoriarum sect 32. *Memoriam: quæ est gemina literaturæ quodammodo, & in dissimili genere persimilis.* Et

in

in Orat. pro Sexto Roſcio, *Par eſt avaritia, eadem impudentia, gemina audacia.* Et pro quinto Roſcio ferè in fine, *Simillima & maxime gemina ſocietas hereditatis.* Et Verrinâ tertiâ ad Epiſtolam Timarchidis, *Gemino & ſimillimo nequitiâ, improbitate, audacia.* Et in Piſonem, *Illud verò geminum conſiliis Catilinæ & Lentuli.* In quibus locis qui pro *gemina* & *geminum*, volunt *germana* & *germanum* reſcribi, toto cœlo aberrant, ut jam ab aliis eſt obſervatum. Patet igitur ſponſæ mammæ quorſum cum geminis hinnulis conferantur; nempe quia non niſi geminæ protuberant, unde in Frivolaria à Plauto nominantur *ſororiantes*; & tam ſunt inter ſe ſimiles, quàm eſſe ſolent hinnuli duo gemini. Quanquam, ut dicam quod res eſt, non tota ubera, ſed papillas ſolùm cum hinnulis conferri putem. Neque enim hinnulis abſolutè comparantur ubera, ſed hinnulis duobus geminis, qui paſcuntur inter lilia. Nempe in ruſtico Dramate à rebus quæ ruri ſunt, ſimilitudines ſumi oportuit, & in his areolæ aut agri partes liliis conſitæ mammas virginum utcunque exprimunt, candore ſcilicet, & tumore ſuo. Lilium enim his duobus à Plinio commendatur, quòd candor ejus eximius eſt, nec ulli florum excelſitas major; unde Poëta.

——— *Et grandia lilia quaſſans.*

Et candoris quidem ratione ex Junonis lacte fingitur ortum. Atque ut hic candor uberum candorem refert, ita cùm in horti areola, aut in agri portione aliquot numero lilia ſupra planum ſolum eminent, mammas imitari videntur, quæ pari ratione ſupra pectus aſſurgunt & protuberant. Rurſus in illis liliis ſi paſcantur rufi hinnuli duo gemini, & prorſus ſimiles, eminùs aſpicientibus tanquam papillæ in uberibus apparebunt. Neque novum videri debet, quod vel hîc hinnuli, vel ſuprà cap. 2. v. 16. & infrà cap. 6. v. 3. greges paſcuntur inter lilia; cùm in Judæa & Syria lilia non colantur in hortis, ut apud nos, ſed in agris paſſim occurrant. Unde Mat. 6. v. 28. à Chriſto vocantur *lilia agri*, ſeu, ut habet Syra verſio, (quo idiomate Chriſtus inter Judæos concionabatur) *lilia deſerti*, id eſt, quæ ſponte proveniunt, etiam in deſertis locis & à nullo excultis. Hinc Calphurnius in Litigio, Eclog. 6.

——— *En! aſpicis illum,*
Candida, qui medius cubat inter lilia cervum?

Jam per duo ſponſæ ubera putamus deſignari duas Decalogi tabulas, quæ ſunt duo Eccleſiæ ubera coaptata duobus ſuaviſſimis hinnulis capreæ gemellis, id eſt, duobus charitatis præceptis conſimilibus, ad quæ præcepta Decalogi referuntur; paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies & inclinentur umbræ, dum magis

magis ac magis ad charitatis fervorem accenduntur fideles sanctorum exemplis, & doctrinis, donec absorbeatur, quod mortale est, seu usque ad consummationem seculi.

6. *Donec aspiret dies & inclinentur umbræ.* Id est, donec diescat, & noctis tenebræ recedant. Hoc autem plerique Interpretes referunt ad versum præcedentem, ad hæc scilicet verba, *qui pascuntur*, etsi non desint qui id referant ad verbum mox sequens, *vadam.*

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Per montem myrrhæ, & collem thuris, videntur significari *montes aromatum*, qui infrà cap. 8. v. 14. hinnulis pro statione assignantur; hi autem Judææ montes hodiè nobis sunt ignoti. Eleganter verò sponsa designatur per loca pascua hinnulorum, cujus duo ubera hinnulis assimilantur. Atque ita promittit sponsus se jamjam ad dilectissimam sibi sponsam venturum, ipsíque indivulsè & indissolubiliter adhæsurum. Hæc optimè quadrant in Christum spondentem se jamjam impleturum magnum Incarnationis sacramentum, ut ipse & Ecclesia sibi olim desponsata jam sint duo in carne una, imò jam cessent esse duo, sed fiant caro una in æternum.

7. *Tota pulchra es, &c.* Pergit sponsus laudare sponsam, & eximium in ea commendat decorem sine macula & sine ruga fulgentem. Hoc non de Ecclesia duntaxat triumphante, sed & de militante intelligi potest, *quantùm ad professionem sanctitatis & fidei*, ut loquitur doctissimus Estius. *Nihil enim in fide falsum, nihil in moribus pravum, Ecclesia præscribit, sed omnia pura, sancta, incoinquinata, maculâ & rugâ carentia, nec quidquam tale invenitur apud quascunque sectas.* Non desunt inter SS. PP. qui putant militantem Ecclesiam totam denominari pulchram à parte, quia scilicet in ea sunt multi perfecti, qui immaculati dicuntur, utpote qui sunt sine macula peccati mortalis; ut enim præclarè Aug. Serm. 3. de Verbis Apostoli, *non quia non possumus hîc esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cetera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei & bonæ spei Christianus, sed illa sola, quæ quotidiano orationis penicillo tergantur.* Hinc quod statuit Nicæna Synodus prima œcumenica Can. 2. excludendum de Clero (qui ceteris fidelibus prælucere debet verbo & opere) eum, qui duobus aut tribus testibus sit convictus reus ψυχικῦ ἁμαρτήματος, id est, *peccati animalis*, haud improbabiliter Theodorus Balsamon Antiochenus Patriarcha intelligit de quacunque culpa incompatibili cum divina gratia. Balsamoni favere videntur hæc B. Hier. verba in c. 1. Ep. ad Titum: *Sine crimine jubetur esse Episcopus, quod puto*

uto alio verbo irreprehenſibilem nominatum. Non quòd eo tantùm tempore, quo ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, & præteritas maculas novâ converſatione diluerit : ſed quòd ex eo tempore, quo in Chriſto renatus eſt, nullâ peccati conſcientiâ remordeatur. Quomodo enim poteſt præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto ſimili corruit ? Aut quâ libertate corripere peccantem poteſt, cùm tacitus ſibi ipſe reſpondeat eadem admiſiſſe, quæ corripit ? Sic & B. Iſidorus lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 5. *Quod,* inquit; *is qui poſt baptiſmum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipſa teſtatur. Moyſes enim in Lege præcepit Sacerdotibus ne aliquod pecus vitiatum ad aram Deo offerant ; Unde & in Numeris vitula rufa, cujus cinis expiatio eſt populi, non aliter jubetur offerri ad altare Domini, niſi quæ terrena opera non fecerit, jugúmque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura objiciamus? Si enim is qui in Epiſcopatu mortale aliquod peccatum admiſerit, non debet offerre panes Domino, quantò magis ante Ordinationem peccator inventus, repudiari debet ut non ordinetur ?* Idipſum teſtatur S. Greg. Magnus, plurimis, iiſque luculentiſſimis epiſtolarum ſuarum locis lib. 3. Ep. 26. *Pervenit ad nos quoſdam de ſacris Ordinibus lapſos vel poſt pœnitentiam, vel ante, ad Officii ſui miniſterium revocari : quod omninò prohibemus, & in hac re ſacratiſſimi quoque Canones contradicunt.* Et lib. 4. Ep. 17. *Si lapſis ad ſuum Ordinem licentia concedatur, vigor Canonicæ procul dubio frangitur diſciplinæ, dum pro reverſionis ſpe, pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat.* Et. lib. 6. Ep. 39. *criminaliter abſcedentem, in locum de quo lapſus eſt, nulla permittit ratio revocari.* S. Martinus primus in epiſtola ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum de Presbyteris & Diaconis lapſis poſt ordinationes ſuas ait : *Nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem Canonum compaſſionem exhibeas. Nam quî ſemel poſt Ordinationem ſuam in lapſum ceciderit, jam depoſitus erit, nullúmque gradum Sacerdotii poterit adipiſci : Sed ſufficiat ei lamentationibus, fletibúſque aſſiduis quousque advixerit, in eadem pœnitentia addurare, ut commiſſum delictum Divinâ gratiâ extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat ; quanto magis ſi poſt Ordinationem ſuam, quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omninò prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis Myſterium noſtræ ſalutis tractare ? Sitque hujuſmodi ſemper juxta ſacrorum Canonum inſtituta in hac vita depoſitus ; at ab illo qui mentis interiora ſcrutatur, nullúmque de ovibus errare congaudet, dum aſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in*

terribili judicio habeat reconciliatum, id est, reconciliationem. Concilium Valentinum in Gallia sub S. Damaso Papa Can. 4. Statuit, *Quicunque sub Ordinatione vel Diaconatûs, vel Presbyterii, vel Episcopatûs mortali crimine dixerint se esse pollutos, à suprædictis Ordinationibus submovendos reos, scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis, &c.* Similiter Concilium Toletanum quartum Can. 52. *Qui ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum vel honores Ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt.* Quia tamen in præfatis & similibus authoritatibus nonnulli intelligi volunt tantùm peccata ab antiquis capitalia & mortalia per antonomesiam dicta, cujusmodi erant apostasia circa fidem, homicidium & fornicatio, aliáque peræquè gravia delicta, quorum expiationi Ecclesiæ leges publicam injungebant pœnitentiam; sunt quoque nonnulli qui *animale peccatum* in laudato Canone secundo Nicæno restringant ad ea duntaxat peccata, quæ ex mortalibus antonomasticè dicuntur mortalia, & præ cæteris sunt gravia. Sunt denique qui per *animale peccatum* putant à Nicæna Synodo significari completam per actum externum luxuriam post Baptismum vel Ordinem susceptum; Dícque Canon Nicænus secundus est conformis Canonibus 9. & 10. Concilii Neocæsareensis, & Eliberino Canoni 30. vel isti S. Gregorii Magni oraculo lib. 3. Ep. 26. *Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita caret, ut ulterius ad ministerium non accedat.*

8. *Veni de Libano, &c.* Hortatur sponsus sponsam, quam dilectione & nimiâ charitate sibi despondit, ut assuetâ vinearum & gregum custodiâ dimissâ veniat suæ coronæ, seu beatitudinis particeps fieri. Hunc eundem sensum veritas Hebraica, versio Græca & Vulgata Latina exprimit, licèt aliis & aliis verbis. Hæc autem optimè adumbrant Christum vocantem ad se Ecclesiam laborantem sub jugo & maledicto Legis, ut relictis infirmis & egenis elementis edomandæ humani generis superbiæ necessariis hactenus oneribus, ipsum per hæc figuratum agnoscat & recipiat Salvatorem; hæc quippe est vita æterna ut verum Deum cognoscamus, & quem misit Jesum Christum. *Legalibus disciplinis*, inquit Tert. 2. adverſ. Marcion. *Deus oneravit Judæos, ut duritiem eorum edomaret, & operosis officiis dedolaret.*

De Libano. Libanus est insignis Phœniciæ mons in sacris Litteris celebratissimus, qui Judææ fines à septentrione claudit. Hujus montis vinum commendat Oseas, dum cap. 14. v. 8. de Israëlitis à Deo sanatis & dilectis ait: *Germinavit quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani.* Ejusdem verò montis pascua

ctia celebrat Pſaltes, dum ait Pſ. 28. v. 5. *Confringet Dominus cedros Libani*, potentes, ſublimes, glorioſos terræ, *& confringet eos tanquam*, non ſecus ac *vitulum Libani*, hoc eſt, divites, delicioſos, ac pingues, quaſi vitulum aſſuetum paſcuis montis Libani.

Coronaberis. Heb. *contemplaberis.* Senſus eſt idem ac ſi diceret; experieris, dilectiſſima ſponſa, te tibi ſummam comparaſſe felicitatem levi jacturâ, dum ut mihi vinculo matrimonii indiſſolubili adhæreas, feraciſſima quæque loca deſerüeris.

De capite Amana. Hæc referuntur ad verbum *veni*, non ad verbum *coronaberis.* Eſt autem Amana mons altiſſimus trans Jordanem juxta Libanum ſitus in finibus terræ Iſraël ad ſeptentrionem. Alii volunt hîc deſignâri montem præcelſum ejuſdem nominis, qui Ciliciam à Syria dirimit, de quo Plinius lib. 5. Nat. Hiſt. cap. 22.

De vertice Sanir & Hermon. Montem Hermon Amorrhæi *Sanir* ſeu *Senir* vocant, ut patet ex Deut. 3. v. 9. 1. Paralip. 5. v. 23. Ezech. 27. v. 5. quaſi *felinum* dixeris, fortaſſe à ſelibus ibi diverſari ſolitis. Felis ſcilicet ut Arabicè *Sinaur* vel *Sinar* שנאר, ita Chaldaicè שונר *Schunar* vel שונרא *Schunera* vocatur. Hinc Talmudici onirocritici in Beracoth cap. 9. fol. 56. B. *Qui* חתול *Chatul*, id eſt, *felem videt in ſomnis in loco, in quo felis vocatur* שונרא *Schunera, fiet illi* שירה נאה *Schira Naa*, id eſt, *Canticum pulchrum. At ſi videat in loco, in quo vocatur* שינרא, *Schinara*, quomodo apud Arabes, *fiet illi* שינוי רע *Schinuira*, id eſt, *mutatio mala.* Hæ ſunt frigidæ vocum alluſiones; quale eſt quod Satyrus ab Alexandro viſus in ſomnis dum Tyrum obſideret, ſignificavit Tyrum ab illo propediem capiendam, quia Σάτυρος divulsâ voce eſt σὰ τύρος, *tua eſt Tyrus.* Et cum alius vidiſſet Theſſalonicen, hoc omnem victoriæ ſpem illi ademit, quia nomen ipſum urbis ſignificabat θὲς ἄλλῳ νίκλω, *alii relinque victoriam.* Porro mons Hermon hodiéque ab Arabibus vocatur *Senir.* Illum definit Alcamus Lexicographus Arabs montem inter Emeſam & Baalbech, quæ olim Heliopolis. Ibidem felis *Sinar* vel *Sinaur* dicitur à naturæ malignitate. Nam Arabicè *Sener* eſt prava indoles.

De cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. In ſacris & prophanis libris Leo & Pardus ſæpè junguntur, tanquam animalia aliquo modo homogenea; ſecundum enim in ferís à Leone locum Pardo tribuunt Arabes, & cùm naturale Pardo ſit odium in Leonem, alternam inter eos victoriam eſſe aſſerunt in Damire in cap. de Pardo. Incertum eſt autem utrum à Salomone montes Pardorum appellentur quilibet montes Par-

dis frequentes, præcipuè Libanus, Amana, Sanir & Hermon, quorum hîc eſt mentio : an verò aliqui fuerint tum circa Libanum montes peculiariter ſic nominati, ut is de quo Brocardus, *A Tripoli per duas leucas eſt mons Leopardorum, rotundus & altus, unâ leucâ à Libano diſtans.*

Pardorum. B. Hier. lib. 1. In Jovinianum cap. 17. & B. Gaudentius tract. 2. legunt *Leopardorum.* Hoc mirum non eſt, quia quamvis *Leopardi* vox præcisè ſumta animal ſignificet ex Leæna & Pardo natum, tamen Catachreſticῶς pro Pardo jam olim uſurpata eſt, ut in his Fl. Vopiſci. *Editi deinde centum Leopardi Lybici, centum deinde Syriaci.* Nam in Syria Leopardi ex mixto ſemine nulli ſunt, ſed ſolùm in Africa, nec in Africa ipſa tam numeroſi occurrunt, ut Romæ potuerint edi per centurias. Neque aliud voluit Symmachus lib. 4. Epiſt. 12. cùm *Romanam caveam* ſcripſit *Leopardorum curſus impleviſſe.* Itaque in his Lampridii in Heliogabali vita, *Ebrios amicos plerumque claudebat, & ſubitò nocte Leones, & Leopardos, & urſos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem Leones, urſos, Pardos cum luce, vel, quod eſt gravius, nocte, invenirent,* vocantur *Pardi*, qui paulò antè *Leopardi*, Hinc in veteri Gloſſario Latino-Græco in capite de Beſtiis, *Leopardus* eſt πάρδαλις. Quæ catachreſis noſtris ſeculis ita invaluit, ut plebs hodie Leopardi nomine nihil quàm Pardum intelligat.

9. *Vulneraſti cor meum, &c.* Poſtquam ſponſus in ſuperiori ſententia vocavit dilectam, illam intuitus, ejúſque pulchritudine mirum in modum recreatus, in hæc prorupit, quibus ſui in ſponſam amoris vehementiam ἐμφατικῶς reddit conteſtatam. Senſus eſt idem ac ſi Chriſtus diceret Eccleſiæ : hoc eſt, quod me ad te amandam vehementiùs, mirificè præ cæteris allicit, atque accendit, quòd unitatem ejuſdem fidei ac dilectionis ab orbe condito ad conſummationem uſque ſeculi, & in Doctoribus, & in plebe, in paſtoribus & in ovibus conſtanter & immobiliter ſerves.

Soror mea. B. Hier. lib. 1. contra Jovin. putat ideo ſponſam vocari ſororem, ut tolleretur ſuſpicio fœdi amoris. Alii non minùs probabiliter putant ut ſponſæ teſtaretur ſponſus quàm ardenter ipſam diligat, ipſum ſororis appellatione uſum ; eſt quippe hæc appellatio blandientis, & intimæ amicitiæ ac familiaritatis. Sic Eſther 15. v. 12. dicebat Eſtheræ conjugi ſuæ Rex Aſſuerus *frater tuus ſum.*

In uno oculorum tuorum. Per unum oculum ſignificatur unitas ſanctorum Doctorum plebem Dei doctrinâ & præceptis ad cœleſtia ducentium.

In uno crine. Heb. ad verbum, *per unum torquem,* ſeu *ſertum,*

tum, scilicet, ex crine contorto. Significatur autem per unum crinem, seu torquem ex crine contorto, multitudo plebis fidelis unitæ in eadem fide, quâ, veluti collo, Ecclesia capiti suo, quod est Christus Jesus, jungitur. Ita ferè S. Greg. Magnus.

10. *Quàm pulchræ, &c.* Q. d. Quis non admiretur speciem, pulchritudinémque mammarum tuarum? De Ecclesiæ mammis seu uberibus diximus suprà v. 5.

Pulchriora sunt ubera tua vino. Id est, *meliora* (ut dicitur suprà cap. 1.) *sunt ubera tua vino.* Pulchrum quippe & bonum promiscuè usurpantur. Hoc nempe vult sponsus longè delectabilius esse ubera sponsæ veluti sugere, atque iis inhærere, quàm lagunculam, aut utrem vini generosissimi exhaurire. Simile est illud Salomonis dictum in Proverbiis cap. 5. v. 19. quum commendat viris amorem conjugum suarum ferventissimum, *Ubera ejus inebrient te omni tempore.* Præclare Aug. tract. 3. in Ep. 1. B. Joannis: *Quisquis novit natum esse se* Spiritu, *avidè inhiet uberibus matris, & citò crescit. Est autem mater Ecclesia, & ubera ejus duo testamenta Scripturarum Divinarum. Hinc fugatur lac omnium Sacramentorum, temporaliter pro æterna salute nostra gestorum: ut nutritus atque roboratus perveniat ad manducandum cibum, quod est, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Lac nostrum Christus humilis est: cibus noster, idem ipse Christus æqualis Patri.*

Et odor unguentorum, &c. Per unguenta sponsæ designari Spiritûs sancti charismata Justus Orgelitanus, Aponius, atque Anselmus asserunt. Per odorem istorum charismatum in Divinis naribus sine cessatione redolentium aiunt Ecclesiam sanctam universis rebus hujus seculi, quæ per aromata designantur, præferri.

11. *Favus distillans, &c.* Quia mel non solum dulce est, sed *& initium dulcoris habet*, ut loquitur Ecclesiasticus cap. 11. v. 9. id est, summè dulce est, inde est quòd quæcunque vel sunt gustui dulcia, vel animo grata & jucunda, cum melle conferuntur tum à sacris, tum à prophanis Scriptoribus. Rectè, inquit B. Greg. Magnus, *labia sponsæ favus vocantur, quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando verò electus quisque prædicat, quando cœlestia gaudia revelat nescientibus, tunc favus distillat; quia quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat.*

Mel & lac sub lingua tua: Sancta Ecclesia *mel in lingua prætendit, quia sapientiæ dulcedinem loquendo, quam veraciter prædicans tanquam mellis dulcedine reficit: lac gerit, quia congruenti*

enti sibi doctrinâ parvulos quosque nutrit : sub lingua autem hæc omnia sibi reservat, quia internam dulcedinem assiduè secum portat. B. Greg. Mag.

Odor vestimentorum, &c. Suavitates odorum, qui afflantur è sponsæ vestimentis, designant ferventissimos illos charitatis affectus, thuris instar rectà cœlum petentes in ipsis externis sanctæ Ecclesiæ bonis operibus.

12. *Hortus conclusus, &c.* Hoc est, tu, ô sponsa dilectissima, hortus, seu fons vallo aut muro septus, & circummunitus, & aliis omnibus illibatus, tanquam Domino charus, ne cuipiam in eum ingredi, aut fructus decerpere, seu aquam præterquam Domino haurire liceret. Pulchrè autem incorruptæ sponsæ pudicitia nullum præter sponsum amatorem admittens adumbrat sanctam Dei Ecclesiam, quæ, ut loquitur Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 32. *Sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit.* Eadem Christi Ecclesia circumvallata protectione Christi, qui pollicitus est ipsi se semper affuturum, dicitur fons signatus, quia doctrinæ cœlestis manat fluentis, quibus credentes à peccatis lavat, & veritatis scientiâ potat ; hæcque Ecclesiæ doctrina sic veritatis munita est signaculo, ut neque hæretici, neque maligni spiritus fidem Catholicam violare, aut in eam irrumpere valeant. Ita ferè Cassiodorus & venerabilis Beda explicant cur Ecclesia Christi dicatur fons signatus. Quàm aptè verò virgo cautè virginitatem servans cum horto concluso conferatur, mirificè Catullus in suo Epithalamio illustrat his versibus.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quam mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cùm tenui carptus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis, sed
Cùm castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec grata puellis.

11. *Emissiones tuæ, &c.* Ne quis putaret sponsam cum horto concluso semel atque iterùm collatam, minùs Domino aliisque omnibus utilem, quòd sit hortus ab aliorum consortio divisus atque separatus, in eadem similitudine persistens præsenti & sequenti versiculo asserit quòd quemadmodum paradisus, quamvis concluſus & septus, suavissimos tamen ex se odores fundit, dulcissimos fructus, saluberrima poma, ac longè prospicientibus

ſpicientibus jucundiſſimum præbet ſpectaculum; ſic & ſponſa tota licèt ſponſo ſuo dedita, jucundiſſima tamen exhibet intuentium oculis exempla pudoris & modeſtiæ, ſuaviſſimos boni nominis odores ſpirat virtutúmque omnium mira edit in omnes documenta. Hæc quàm aptiſſimè quadrant in ſanctam Dei Eccleſiam, quæ præventa à Deo amatore ſuo, ipſi inviolatam ſervat fidem, filióſque ſuis præclaris charitatis, humilitatis, patientiæ, modeſtiæ, virtutum denique omnium documentis verbo & opere quàm ſuaviſſimè reficit & recreat.

14. *Cum univerſis lignis Libani.* Id eſt, cum cunctis odoriferis arbuſtis & odoribus Libani.

Primis. Id eſt, præſtantiſſimis.

15. *Fons hortorum, &c.* Hæc eſt ſingularitas ſponſæ, quæ ſic more putei altum & immanentem bonorum ad ſe uberrimè ex perenni fonte profluentium cumulum ſpatioſo receptaculo continet, ut tamen more fluvii eadem bona quàm liberaliſſimè profundat & communicet. Eleganter itaque B. Greg. Nyſſ. Hom. 9. in Cantic. *Hoc eſt omnium maximè admirabile; nam cùm omnes putei aquam ſimul habeant conſiſtentem, ſola ſponſa aquam in ſe habet permeantem; adeo ut putei profundum habeat, & fluvii perennem motionem.* Hæc eſt ſingularis Eccleſiæ laus, quòd communicet ſibi Divinitùs infuſos gratiarum latices, largitérque cœleſtia dona diſpenſet, nec tamen unquam data ipſa cœlitùs plenitudo exhauriatur, aut minuatur.

Fluunt impetu de Libano. Q. d. ex præcelſiſſimo monte largiſſimorum imbrium inſtar continuo impetu defluunt. Jacobus Vitriacus Hiſtoriæ Jeroſolymitanæ cap. 33. *Ad pedes autem Libani montis in partibus illis oritur fons amœniſſimus, aquas habens limpidiſſimas, quæ per quoſdam ſubterraneos meatus fluunt impetu de Libano, omnes hortos regionis copioſè irrigantes. Hunc dicunt eſſe fontem hortorum, de quo in Canticis Salomon facit mentionem.* & cap. 43. *In Tyri territorio in loco aliquantulùm edito eſt fons ſive puteus, ſupra quem feſſus in itinere dicitur quieviſſe Dominus, cùm tranſiret per fines Sidonis, & Tyri. Habet autem aquas limpidiſſimas intrinſecùs, ita copioſè ſcaturientes, quòd omnia pomaria, & hortos olerum, & univerſam irrigat regionem. Hunc Salomon in Canticis, puteum aquarum viventium appellat.* Brocardus: *Diſtat ab hac urbe Tripoli Libanus tribus leucis, ad cujus pedem oritur fons hortorum, fluens impetu de Libano, ut in Cantico Salomonis dicitur, habens quidem ſcatebram humilem, ſed illicò tumeſcens fit fluvius magnus, irrigans & fœcundans omnes hortos, & totam regionem, quæ eſt inter Libanum & Tripolim.* Eadem tradunt poſteriores alii ſacri Topographi. Sed ante omnes Gulielmus Tyrius lib. 7. belli ſacri cap. 22. *Tyrum pervenerunt,*

runt, ubi circa illum egregium & seculis admirabilem fontem hortorum, & puteum aquarum viventium castrametati in pomœriis latè patentibus, & multâ commoditate refertis, nocte quieverunt unâ.

Sponsa.

16. SUrge aquilo, & veni auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

EXPLICATIO.

SPonsa comparata horto plantis aromaticis undique consito ventos duos præcipuos obtestatur, ut simul perflantes longè latèque diffundant eam, quâ perfusa est, odoris suavitatem. *In Aquilone*, inquit Glossa, *mundi adversa; in Austro blandimenta intellige.* Unde Ecclesia non solùm Austrum ad perflandum hortum suum, sed etiam Aquilonem ad surgendum, seu insurgendum, hoc est, ad eundem hortum impugnandum provocat, ut hac geminâ impugnatione probata & pulsata mirum suæ in castissimo Dei amore constantiæ, quam nec tristia frangere, nec mollia detinere possunt, odorem undique diffundat.

CAPUT QUINTUM.

Prosequitur Sponsa Votum suum.

1. VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.

EXPLICATIO.

1. *Veniat, &c.* Optat sponsa ut sponsus effusâ odoris fragrantiâ illectus invisat hortum suum concluſum, & gaudeat maturâ dulcissimorum ejusdem horti fructuum suavitate. Optat Ecclesia ut Christus se invisat, &, iis, quæ sibi ab ipso bono-

bonorum omnium largitore insunt, pascatur, & delectetur gratiis & virtutibus.

Sponsus.

VEni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

EXPLICATIO.

SE jam hoc sanctum munere respondet sponsus, ac hortum sponsæ ingressum afflatam ex consitis ibi aromatibus suavitatem odoratione percepisse, & ibidem opiparè hilarem in modum esse epulatum; jámque hoc unum superesse, ut amici quoque adsint epulo magnificentissimo, & famem & sitim dulciculis cibis, potionibúsque largiter expleant. Hoc sponsi responsum præclarè Christum exprimit annuentem votis Ecclesiæ sub Lege suppliciter deprecantis, ut citò adesset sponsus. Quasi diceret, Ecce, quem expectabas, Salvator adveni, valdéque recreatus sum odore quàm suavissimo virtutum & bonorum operum, quem Patriarchæ, Prophetæ, cæteríque justi tui in me credentes exhalarunt. Quid enim myrrhæ, aromatúmque nomine, *nisi*, ut alicubi loquitur B. Greg. Mag. *virtutum suavitas*, seu *benè redolens electorum vita designatur*? Addit Christus adagiali locutione sè in adventu suo opiparè epulatum, dum videlicet proposito sibi gaudio sustinuit crucem, & implevit quæ prædicta erant de ipso in Divinis eloquiis quovis melle dulcioribus; *Meus cibus est*, inquit Joan. 4. v. 34. *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Vinum lacte dilutum bibit Christus, dum pascitur & delectatur prudentiâ senili cum innocentia & simplicitate parvulorum in electis suis conjunctâ; ut enim eleganter pro more B. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 175. *Prudentia simplicitate temperata divinam quamdam rem, hoc est, numeris omnibus absolutam virtutem parit. At si altera sejungatur, illa in perversitatem incidit, hæc verò in stultitiam desinit.* Itaque lacte significatur innocentia parvulorum; vinum verò, quod moderatè potatum acuit ingenium, dicitúrque vulgò lac senum, designat virilem prudentiam.

Bibit

Bibit ſponſus vinum cum lacte, quia delectatur iis, qui malitiâ parvuli ſunt, *ſenſibus autem perfecti*, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 20. Hinc fortè olim renatis in Chriſto vinum lácq; tribuebatur, qui mos ac typus in Occidentis Eccleſiis etiamnum tempore B. Hieronymi, ſervabatur, ut ipſe teſtis eſt in Commentariis ſuis in Eſa. cap. 55. Si tamen nobis conſtaret vinum olim neophytis propinari ſolitum, fuiſſe ubique vinum dulce, quomodo id nobis conſtat de quibuſdam Belgarum Eccleſiis ex Panoplia Guillelmi Lindani Epiſcopi Ruremondenſis, per lac vino mixtum intelligi homines fragiles fide ſalutari imbutos, (cum quibus eſſe deliciæ ſunt Chriſti) conſtanter aſſeverare-mus, inducti hac authoritate S. Clementis Presbyteri Alexandrini lib. 1. Pedagogi cap. 6. *Miſcetur lac vino dulci: eſt autem utilis mixtio, veluti contemperatâ affectione ad incorruptionem: lac enim à vino ſereſcit, & findltur, & quidquid eſt ejus adulterinum, id tanquam per aquæ ductum educitur. Eodem autem modo ſpiritualis fidei ſocietas ſe habet in hominem patibilem; ſereſcere enim faciens carnales concupiſcentias, hominem ad æternitatem contrahit, Divinis immortalem efficiens.*

Comedite amici, &c. Non ſolùm Chriſtus verâ fidelium fide, ſeu prudentiâ per ſimplicitatem temperatâ delectatur, *ſed etiam hortatur* ipſos *fideles ad congaudendum tali convivio*, ut loquitur Gloſſa.

Inebriamini. Præclarè Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. *Hæc ebrietas ſobrios facit; hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ; lætitiam generat, non titubantiam. Sobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans; Non madens vino, ſed ardens Deo*, inquit Bernardus in tract de diligendo Deo, ad finem. *Ebrietas hæc, Summa ſobrietas eſt; mundi memoriam obliterat, & Deum præſentem animo ſemper inculcat.* Amadeus Lauſaniæpiſcopus.

Sponſa nocturnum ſuum ſomnium ſuis narrat comitibus.

2. EGo dormio & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

3. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?

lâ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.

6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi & non respondit mihi.

7. Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

EXPLICATIO.

2. *Ego dormio, &c.* Q. d. Somni necessitas contrahit palpebras, at vehemens sponsi amor oculos mentis meæ excitat, atque sæpenumerò per somnum mihi blandam pulsantis vocem audire videor hunc in modum, *Aperi mihi, &c. Etenim consuevit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in somniis per phantasiam cernere*, ut loquitur Chrysost. Hom. 10. de Pœnit. Hoc de Ecclesia dictum sic exponit Aug. tract. 57. in Joan. *Otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. Ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus Divinis se intendit affectibus.* Hinc B. Ambrosius in Epistola 60. ad Anysium ait: *Est Sanctorum etiam somnus operarius.*

Vox dilecti, &c. Enarrat sponsa sibi in somnis visum sponsum non tam manu fores ostii, quâm blanda voce intima pectoris sui pulsantem, ne diutiùs patiatur ipsum frigido noctis tempore sub dio extra fores manere. *Pulsat dilectus, cùm fideles suos provocat Christus, aut ad suarum incrementa virtutum, aut certè ad lucrandas animas proximorum.* B. Petrus Damiani in serm. de Ss. Flora & Lucilla.

Soror mea. Soror utique, inquit idem ibid. *quia regni mei mihi cohæres effecta, & in necessitudinem mihi fraternæ adoptionis adscita.* Vide dicta suprà cap. 4. v. 9. cur sponsa vocetur Soror.

Amica

Amica mea. Quia de jugo ſervitutis erepta, cognoviſti meæ veritatis arcana. Idem ibid.

Columba mea. Sponſam toties Columbæ ſuæ nomine indigitat ſponſus, ſignificari volens hanc à ſe unicè diligi, ſéque illi viciſſim unicè charum eſſe, quomodo in columbis mirus eſt amor inter conjuges, & conjugii lex firmiſſima. *Neque enim pluribus copulari volunt, neque mutuum conſortium unquam deſerunt, niſi per viduitatem,* inquit Ariſt. hiſt. lib. 9. cap. 7. ita & Plin. hiſt. nat. lib. 10. cap. 34. Propertius lib. 2. eleg. 12. &c. Sic Eccleſia Chriſtum ſolum pro ſponſo agnoſcit, & ille unam habet Eccleſiam, quam ſibi in æternum deſponſavit in juſtitia, judicio, miſericordia & miſerationibus, ut dicitur Oſeæ 2. verſ. 19. hinc Apoſtolus 2. Cor. 11. verſ. 2. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Immaculata mea. Sic denominatur Eccleſia militans ab iis, quos complectitur, juſtis, qui ſine crimine ſunt. S. Aug. tract. 58. in Joan. & lib. de Perfectione juſtitiæ : *Non ideò ſine peccato eſt aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Unde & Apoſtolus cùm miniſtros eligeret Ordinandos, non ait : Siquis ſine peccato, quod invenire non poſſet : ſed ait, Siquis ſine crimine, quod utique poſſet.* Syneſius de ſua Epiſcopatûs recuſatione ad fratrem ſcribens Epiſt. 105. ait . *Palam ac liberè dico Sacerdotem debere eſſe omnis maculæ expertem, multùm ut ei ſuperſit, tanquam qui aliorum labes eluat.* Ut enim præclarè Terentius,

Nonne id flagitium eſt, te aliis conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier ?

Omnia, inquit Cicero actione quintâ in Verrem, *quæ vindicaris in alio, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modo accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt, qui, quod in alio vitium reprehendit, in eo ipſo deprehenditur.* Vide quæ diximus ſuprà cap. 4. v. 7. Huc facit & iſtud Talmudicum adagium, quod extat in tractatu Sanhedrin capite 2. קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים *Orna teipſum, & poſteà ornato alios.* Vide & Mat. 7. v. 5. & Commentarium noſtrum ibidem.

Aperî mihi. Hoc eſt, de quiete & otio dilectæ tibi contemplationis egredere, & ad perhibendum veritati meæ teſtimonium ferventiſſimè te, & conſtanter, impende. B. Petrus Damiani loco mox laudato.

Guttis noctium. Ros alius manè pluit, alius ipſâ nocte. Ille vocatur Oſ. 6. verſ. 4. טל משכים *Ros matutinus,* vulgat, *Ros manè pertranſiens,* & 13. verſ. 3. *Ros matutinus præteriens,* & Sap. 11. v. 23. *Gutta roris antelucani,* Græcè ῥανὶς δρόσου ὀρθρινὴ, *Gutta roris matutina.* Hunc Salomon vocat guttas noctium,

noctium. Arabes hæc distinguunt propriis nominibus; illis enim æquè ac Hebræis *tal* rorem in genere sonat, & *redan* matutinum, ut *sedan* nocturnum rorem sonat. Utroque tempore pluebat manna, aut ros illi prævius, de quo dicitur Exod. 16. vers. 13. *Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum.* & Num. 11. vers. 9. *Cùmque descenderet nocte super castra ros. Caput Christi*, inquit B. Petrus Damiani loco laudato, *Deus est, ut dicit Apostolus. Cincinni verò intimæ sanctorum cogitationes sunt, quæ non laxæ fluunt, & dissolutæ, sed timoris & amoris Dei sunt vinculo colligatæ. Enimverò, quid per rorem, & guttas noctium, nisi tenebrosas, & frigidas quorumdam reproborum mentes accipimus? Caput ergo Sponsi in reprobis plenum est rore, cùm seculares quique à Dei charitate torpescunt, & per voluptatum suarum lasciviam defluunt, juxta id quod Dominus dicit; Abundavit iniquitas, & refrigescet Charitas multorum. Matth. 24. Hujusmodi planè cùm sanctos Dei persequuntur & odiunt, in illorum cordibus quasi cincinni sponsi guttis noctium pleni sunt. Cùmque tales multiplicantur, & Ecclesiam persecutionibus aggravant, tunc sponsus sponsam exhortatur, ut surgat, & studio prædicationis valenter insistat.*

3. *Expoliavi me &c.* Sensus est, ut ego lectum petii, tunicam exutam reliqui; nunc verò quis modus resumendi eam, & pedes meos tam accuratè ablutos rursus inquinandi? Pulchrè hæc de Ecclesia exponit loco laudato B. Petrus Damiani, quasi Ecclesia diceret: *Exui me curis, & occupationibus seculi, & in solo me tuæ contemplationis amore constrinxi. Quomodo itaque nunc discursionis iter arripiam? Quomodo strepitus, & luctamen obloquentium feram? Quod autem per tunicas curas, sollicitudinésque significet, ostendit Dominus, cùm dicit: Qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam. Matth. 24. Quod est apertè dicere, qui sublimi contemplationis arce subnititur, nequaquam descendat, ut iterùm secularis negotii occupationibus implicetur. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Id est, gressus mei operis ab aspersione terreni pulveris dignis pœnitentiæ fletibus abluì. Quo pacto jam potero, nisi quibus assueta sum, cœlestia meditari?*

4. *Dilectus meus, &c.* Q. d. Dum sic surgere refugerem, & excusarem difficultatem, dilectus fores pulsans per foramen seræ, cui clavis immittitur, digitum manûs immisit, ad cujus tactum commota sunt viscera mea. *Dilectus*, inquit B. Petrus Damiani loco mox laudato, *manum per foramen mittit, & ventrem tangit, cùm occultâ conditor inspiratione cor visitat, atque ad agonem certaminis, & sancti laboris inflammat. Nam quòd venter cor significet, ostendit Propheta, cùm dicit* (Jerem. 4.)

Ventrem

Ventrem meum doleo; quod profectò quid esset, aperit, cùm subjungit: Sensus cordis mei dissipati sunt.

5. *Surrexi, &c.* Sensus est: Itaque misericordiâ commota surgens intempestâ nocte accessi propè, ut dilecto meo pulsanti aperirem. Ecclesia *postponit contemplationis requiem*, ut loquitur mox laudatus B. Petrus Damiani loco citato, *& ad fervorem obedientiæ intrinsecùs accensa surgit, ut aperiat: quia promptissimo animo humiliter obediens, calcat propriam, ut totis viribus voluntatem impleat Divinam.*

Manus meæ, &c. Sponsa sponso pulsanti januam apertura suavi se perfudit unguento; solebant quippe Orientales fœminæ lotæ variis unguentis, vel saltem unguento aliquo se perfundere; sic de Judith legimus, Judith. 10. v. 3. *Et lavit corpus suum, & unxit se myrto optimo.* Sic Dan. 13. v. 17. Susannam cùm lavaretur in pomario puellis dixisse legimus: *Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarii claudite, ut laver.* Sic Ruth. 3. v. 3. Noëmi precepit Ruth, *Lavare & ungere.* Sic ergo & sponsa jam lota, ut significavit dicens, *Lavi pedes meos*, inunxisse se innuit pariter dicens: *Manus meæ distillaverunt myrrham, &c.*

Digiti mei, &c. Repetit more Scripturæ familiari altero hemistichio, quod in præcedenti dixerat.

Myrrhâ probatissimâ. Sensum non verba reddidit ex Hebræo Vulgatus Interpres; Hebraicè enim ad verbum habetur, *myrrhâ transiunte ad manubria pessuli*: Quasi diceret, myrrhâ tam fragranti, ut ejus odor transierit ad manubria pessuli, quæ manibus myrrhâ delibutis contrectaveram, ut sponso pulsanti aperirem. Designat Ecclesia his verbis prædicatores suos, qui, ut Christo ad Evangelii prædicationem vocanti obediant, postponunt contemplationis studium, verbo & exemplo sic se gererè, ut in omnibus eorum sermonibus & operibus ea eluceat gratia & veritas, quæ pios fulciat, atque ab omni vitiorum corruptela conservet; impios verò amaritudine imbuat, atque illos vel conficiat, vel ad pœnitentiam impellat. Metaphora sumitur à myrrha, quæ tametsi mirè odorata sit, insigniter tamen est amara.

6. *Pessulum, &c.* Id est, ostio aperto, dilectus meus transgressus jam abierat. Egressa est Ecclesia è quiete & otio dilectæ sibi contemplationis, ut ferventissimâ veritatis prædicatione removeret ex hominibus ignorantiam, cæcitatem, & amorem seculi, quibus veluti pessulis cor humanum clauditur Deo; verùm ut in hoc susceptо propter necessitatem charitatis negotio cœlestis sponsus desponsatæ sibi Ecclesiæ probet dilectionem, permittit eam tribulationibus conflictari. Ut enim præclarè

Richardus

Richardus Victorinus in Cantic. cap. 35. Sponſa *cùm ſe magis dignam ſuſceptioni* (cœleſtis ſc. ſponſi) *exhibuerit, non illi ſe præbet, ſicut deſiderat, ſed ab ea declinat, ut in humilitate eam conſervet, & deſiderium ejus ampliùs excitet, & perfectiùs impleat. Tunc autem declinare dicitur, quando præſentiam ſuam ſentire non dat, cùm ei tamen præſens ſit.*

Anima mea, &c. Mentem, non ſonum verborum Hebraïci textûs, ut & alibi paſſim, expreſſit Vulgatus Interpres. Quaſi diceret ſponſa: Ego ut audivi vocem ſponſi expectatiſſimi, hæſi attonita & quaſi propemodùm exanimata. Hoc optimè quadrat in Eccleſiam voce ſponſi ſui in ipſius amorem extra ſe raptam. Ut enim ait B. Dionyſ. de Div. Nom. cap. 4. *Eſt extaticus Divinus amor*, quo ſcilicet Deus amatur; *qui non permittit ut ſui ſint qui amant, ſed eorum quos amant; unde divinus Paulus hoc amore divino captus, & extaticæ virtutis conſors atque particeps factus, ore divino ait* ad Gal. 2. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus: tanquam verus amator, ac extra ſe in Deum raptus, & non jam vitam ſuam, ſed amati tanquam vehementer dilectam vitam vivens.*

Quæſivi, &c. Sponſa rapta in amorem ſponſi nec ardenter quæſitum invenit ſponſum, nec enixè roganti oſtendit faciem ſuam ſponſus; & in hoc quoque ſponſa Eccleſiam adumbrat. Nam ut verbis Richardi noſtri loco mox cit. utar, *nec ad omnia quæ petit Eccleſia, vel deſiderat*, Deus, *reſpondet ei, ſed cùm non exaudit ad voluntatem, tamen exaudit meliùs ad utilitatem: concedit enim quod magis expedire novit.*

7. *Invenerunt, &c.* Sponſæ, dum quaquaversùm quærit ſponſum, occurrunt murorum cuſtodes, civitatem perluſtrantes; hi ſponſam percutiunt, vulnerant, & peplum ejus abreptum auferunt, quòd ſcilicet ſponſa ſponſi abſentiam ſicut acerbiſſimam rem mœrens, lugubri lamentatione turbaret nocturnam quietem. *Cuſtodes*, inquit Menochius, *ſunt tyranni hæreſibus imbuti, qui Eccleſiam per concionatores & doctores clamare prohibebant, & clamantem plagis malè accipiebant. Hi pallium ſponſæ non ſolùm tulerunt, ſed per ſchiſmata & hæreſes etiam ſciderunt.*

Pallium. Heb. *Peplum* ſeu *velamen*, quo mulieres æſtate operiuntur in Arabia & Meſopotamia. *Apud Judæos tam ſolemne eſt fœminis velamen capitis, ut inde noſcantur*, inquit Tertullianus de corona militis cap. 4.

8. *Adjuro vos, &c.* Q. d. Auditis, chariſſimæ ſociæ, quanta paſſa ſim in ſomnis propter dilectum, jam hoc unum vos oro & obteſtor, ut ipſi dilecto nuntietis, ſi vobis occurrat, me præ nimio ejus amore deficere. Sancta Dei Eccleſia obteſtatur fideles,

deles, ut orantes cœlesti sponso suum offerant desiderium, quo ipsa ad ejusdem sponsi fruitionem medullitùs suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. *Cùm præsto est*, inquit Bernardus Serm. 51. in Cantic. *quod amatur, viget amor; languet cùm abest: quod non est aliud quàm tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, eo absente, quem amat, dum totus in expectatione quantamlibet festinationem reputat tarditatem.*

Chorus Puellarum Jerosolymitanarum.

9. QUalis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum; Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

EXPLICATIO.

9. *Qualis, &c.* Supplicibus sponsæ verbis excitatæ adolescentulæ, pulchritudinem ejusdem sponsæ demirantes, obnixè eam rogant, ut quoniam tam graviter ipsas adjuravit, ediſſeret, qualis tandem sit ille sponsus, quem tam fortiter amat, & præ aliis amabilem prædicat. Sanctæ animæ Ecclesiam matrem qualis sit quem tantoperè videre concupiscit non ignorantes interrogant, sed quia cælestis illius sponsi laudum commemoratione jucunditatem captant.

Dilectus ex dilecto. Hebraismus, id est, præ cæteris dilectus.

Sponsa.

10. DIlectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

11. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmenta-

pigmentariis : labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis, venter ejus eburneus distinctus sapphiris.

15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis : talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

EXPLICATIO.

10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Hebraismus, Q. d. sponsus meus est candidus & lucidus, id est, summo candore nitens ἓν διὰ δυοῖν. Quemadmodum enim, quamvis nihil videatur remotius, quàm ut purpureus color idem credatur esse cum summè candido, tamen purpureum à Latinis sic usurpari constat, quia purpureos olores Horatius ad Venerem lib. 4. Odâ primâ, & Albinovanus in Mœcenatis obitum dixit purpuream nivem, quia utrique colori, candido, inquam, & purpureo, hoc commune est, ut admixti luminis multùm habeant; Sic Hebræi ruborem iis tribuunt, quæ sunt maximè candida, & ipsi Latini rutila & rutilare dicunt, quæ summè candent, nitent, lucent, & splendent. Hinc lepræ macula, cujus albor Exod. 4. v. 6. Num. 12. v. 10. & 4. Reg. 5. v. 27. cum nivis candore confertur, dicitur Levit. 13. v. 19. לבנה, אדמדמת id est, *alba impensè rubra*, quod est, summè candida, atque ideò lucens, qui verus lepræ color est; unde lepræ macula dicitur Hebraicè בהרת id est, *lucida*. Nam Arabicè *bahara* est *lucere*, Chaldaicè בהיר est *lucidus*, Hebraicè quoque Job. 37. v. 21. אור בהיר est *lumen lucidum*, seu *lux nitida*. Cæterùm lepræ epithetum *adamdemeth*, Levit. 13. v. 19. minùs benè à multis vertitur, *subrubra*, seu, *subrufa*, cùm in vocibus Hebræis geminatæ radicales literæ significationem non minuant, sed intendant. Itaque si אדום *rufum* seu *rubrum* sonat, אדמדם *valdè rufum*, seu *summè rubrum* significat. Hæ autem voces cùm opponuntur albo, ad ruborem pertinent; at cùm conjunguntur albo, ut in præsenti, quo de agimus, sacri Dramatis loco, & Levitic. 13. v. 19. non significant colorem ab albo diversum, sed alborem in intenso gradu. Hinc & Je-

remias Thren. 4. v. 7. *rubicundos* dicit illos, quos lacte & nive candidiores dixerat. Hinc & eadem vox quæ Hebræis est *rubere*, in Arabica lingua, quæ Hebraicæ dialectus est, significat *candere*, & ejus derivata candorem eximium important secundum Lexicographos.

Electus ex millibus. Heb. ad verbum *vexillatus*, seu, *insignitus ex decem millibus*. Quasi diceret, coloris suavitate & nitore omnes facilè superat dilectus meus. Hoc maximè quadrat in cœlestem Ecclesiæ sponsum, *candor est enim lucis æternæ*, ut dicitur Sap. 7. v. 26. Et si candori nomen est à luce ignea, nam candere proprium est ignis, longè potiori jure candoris nomen sibi vindicat, Christus splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, qui lux est, & in quo tenebræ non sunt ullæ, quique *ignis consumens* dicitur Deut. 4. v. 24. Hic sponsus cœlestis meritò dicitur *electus ex millibus*, seu *insignis inter decem millia, quia*, inquit B. Petrus Damiani in Serm. 2. de Ss. Flora & Lucilla, *ex omni Sanctorum multitudine solus est, qui fuit dignus audire: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Ille est, *de quo*, ut ait idem institut. Monial. ad Blancam cap. 4. *Salomon, Virum*, inquit, *de mille unum reperi. Millenarius quippe numerus totius humani generis est intelligenda perfectio, in quo Salvator tanquam passer est unicus in ædificio.*

11. *Caput ejus aurum optimum.* Agitur hîc de Rege coronato sub persona pastoris, ut patet ex cap. 3. v. 11. hujus sacri Dramatis. Sensus itaque horum verborum est idem ac si diceretur: Caput dilecti fulget coronâ ex selectissimo & optimo, seu purissimo auro conflatâ. Per coronam auream, quâ fulget caput sponsi, ut B. Hier. per cidarim mundam super caput Josue filii Josedech Zach. 3. splendorem Divinitatis intellige. *Certe*, inquit Hier. in Mat. 9. *fulgor ipse, & majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana* Christi *facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Auri nomine*, ait B. Greg. Mag. 33. Moral. cap. 8. *ipsa intima Divinitatis claritas designatur, sicut in Canticorum Canticis sponsi species describitur: Caput ejus aurum optimum; quia verò caput Christi Deus, nil verò est in metallis auro fulgentius, sponsi caput aurum dicitur: quia ejus humanitas ex Divinitatis suæ nobis claritate principatur.*

Comæ ejus. Heb. קְוֻצּוֹתָיו id est, *antiæ ejus*, ita enim interpretatur doctissimus Bochartus, quia *Kussa* Arabicè est comæ portio quæ fronti imminet, aut ex anteriore capitis parte propendet. Hæc capillitii pars ferè sola apparet, cùm caput est coronâ cinctum. Hinc in præsenti descriptione sponsi coronati sponsa solùm antiarum meminit.

Sicut elatæ palmarum. ἐλάτη, inquit Menochius, *est nomen Græcum,*

Græcum, significans germen palmæ novellum, seu involucrum instar calicis, seu vaginulæ fructuum palmæ florentium, Porro vaginâ hac se pandente, prorumpunt flosculi numerosi modicè densi, & longis villis appensi, botri magni instar conservati. Potuerunt autem antiæ sponsi sic fuisse concinnatæ, ut elatarum palmæ se se diffundentium figuram oculis exhiberint; capilli enim in quamlibet figuram flecti possunt. Textus Hebræus, haudquaquam hanc habet elatarum similitudinem, sed loco illius habet tantùm vocem תלתלים, quæ communiter vertitur à recentioribus, *acervi, cumuli*, seu *tumuli*, & volunt capillorum crispitudinem, seu densitatem laudari; nos verò cum doctissimo Bocharto vocem *taltalim* interpretamur *pendulas*, tanquam geminatum à verbo תלה *pendere*, Sic ex יפה geminato factum יפיות *pulcher es* Psal. 45. v. 3. De illis igitur antiis loquitur sponsa, quæ in sponsi frontem, aures & genas pendulæ sunt.

Nigræ quasi corvus. Id est, sunt coracini coloris, qui à doctis definitur, *color cum aliquo splendore nigerrimus*, qualis est gagatis, & nostri serici villosi, cùm color pullus nihil habeat luminis & nitoris. Hinc Vitruvius disertis verbis lib. 8. cap. 3. coracinum colorem à pullo distinguit. Color coracinus placet in capillis, unde Apuleii libro secundo laudatur capillus *corvinâ nigredine cærulus*, ubi *cærulus* est idem ac *niger*, ut Græcè κυάνεος. Itaque cum corvo confertur Martialis lib. 3. Epigr. 43. etiam qui arte nigrum habet capillitium,

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subitò corvus, qui modò cygnus eras.

Et de Theoro balbutiens Alcibiades, apud Aristophanem in Vespis,

Ὀλᾶς Θέωλον τὴν κεφαλὴν κόλακ' ἔχει,

κόλακα, id est, adulatoris, caput illi tribuens pro κόρακα, id est, *corvi* capite, quia, R. non poterat aliter efferre quam per L. Sed sequitur

Ὀρθῶς γε τῶτ' Ἀλκιβιάδης ἐθράυλισεν,

Hoc rectè balbutiit Alcibiades, quia reverà Theorus adulator erat insignis. Porro quia ad formæ decus pertinet, ut coracino colore crines fulgeant, à nonnullis summo studio affectantur, atque ab ipso corvo remedia à curiosis expetuntur, quibus hoc consequantur. Hinc Plinius Hist. lib. 29. cap. 5. *Corvi quum in æreo vase permixtum, illitumque, derasa capite, nigritiam capillis affert*, &c. *Alii sanguine & cerebro ejus utuntur cum vino nigro. Alii excoquunt ipsum, & nocte concubiâ in plumbeum vas condunt*

condunt. Et Ælianus lib. primi cap. 48. hist. *corvi ova audio nigros efficere pilos.* Eadem præscribunt Sextus, Marcellus, & Rasis. & Arabum non pauci alii. Quamadmodum igitur ut Christi senilem gravitatem & sapientiam adumbret Scriptura, cum describit Dan. 7. vers. 9. & Apoc. 1. v. 14. ut senem & canis capillis, ita ut & ipsius juvenilis vigor nunquam senescens commendetur, cum nobis exhibet sub specie hominis habentis comam coracini coloris. Comæ capitis sponsi secundum communiorem SS. PP. sententiam & Literæ magis consentaneam sunt symbolum Divinarum cogitationum & consiliorum Dei; Nigror verò comarum est symbolum incomprehensibilitatis eorumdem consiliorum & cogitationum Dei.

Priusquam ad sequentis versiculi discussionem progrediamur, non abs re visum est hîc advertere præsentem, quo de agimus, versum à B. Paulino ep. 4. ad Severum laudari his verbis: *Caput ejus ut aurum cephas, crines ejus abietes nigræ, sicut corax.*

Quod spectat ad prius hemistichium, sciendum quòd Hebraicè legitur ראשו כתם פז *roscho kethem paz, caput ejus aurum obrizum,* ut vertit Sanctes Pagninus, vel ut Arias Montanus, *massa auri obrizi*; nam & Aquila Græcè extulit, λιθέα χρυσία, *lapidea* vel *massa auri.* Theodotio verò ἐπίσημοι ἐν χρυσίῳ, *insignes in auro.* Malè Kircherus in suo Indice Hebraico. χρυσίον κεφαλὴ, *aureum caput*; nam lxx. scripserunt, χρυσίον κεζὰζ, *aurum cephas,* ut constat ex S. Gregorio Nysseno in Canticum Hom. 13. qui κεφάζ exponit, *purum & quod omni mixturâ careat, & sincerum.* Sunt ergo qui putent ex duabus dictionibus *Kethem* & *pas,* sive *phas* ut veteres Hebræi legebant, conflatam fuisse vocem κεφάζ. Alii verò existimant lxx. scripsisse χρυσίον ἐν φάζ, id est, aurum ex regione *Phas* advectum, & degenerasse illas duas dictiones in hanc unam κεζὰζ. Hinc B. Paulinus loco suprà laudato per *aurum cephas,* seu ut alii legunt, *aurum paz* putat *probabilius aliquod & purius aurum significari, sicut illud de terra Evilath.* Est. 13. v. 12. pro Hebræo *paz* Græci reddidere *aurum apyrum,* hoc est B. Basilio interprete, *quod nullam alienæ materiæ ambiguitatem in se habet, sed quamprimùm apparet, solo aspectu fidem facit se probum esse, & ab omni æris, aut alterius cujuscunque metalli permistione purum.* Similiter B. Theodoretus in eundem Esaiæ locum, *Apyrum,* inquit, *aurum est, quod etiam sine igne probum apparet, hoc est, incoctum,* ἄπεφθον. Nam Græci ἄπυρον nominant, ut ait Agatharchides, aurum quod è fodina tam purum eruitur, ut nullâ coctione sit opus ad illud expurgandum. Hoc auri genus *multi nunc vocant euryzum,* ut advertit Theodoretus, sive obryzum, sed perperàm; neque enim obryzum pro Ophirizo

rizo dicitur, quamvis nonnulli in hac alluſione ſibi placentes aurum Ophir ſic vocent: ſed ἔνευζον vel ὄβρυζον dicitur aurum, quod ſæpiùs deſpumavit & excoctum eſt. Nam βρύειν, βρύζειν, ἐυρύζειν, de illis rebus dicuntur, quæ efferveſcendo ſpumam ejiciunt, unde & *obruſſa* Latinè eſt auri experimentum quod igne ſumitur. Interpretes Hebræum *paz* vertunt modò *aurum*, modò *obryzum* ſine addito; ſubinde *aurum obryzum*, *obryzum pretioſum*, *lapis pretioſus*, *topazion*, *aurum primum*, & *aurum optimum*.

Jam quod attinet ad alterum preſentis verſiculi hemiſtichium, quod B. Paulinus laudat his verbis, *crines ejus abietes nigræ*, *ſicut corax*, & Vulgatus ſic exprimit, *comæ ejus ſicut elatæ palmarum*, *nigræ ſicut corvus*, hoc lxx. dixerunt, βόστρυχοι ὡσεὶ ἐλάται, μέλανες ὡς κόραξ, *cincinni ejus elatæ*, *nigri ſicut corvus*. Significat autem hîc vox *elatæ* Græcè & Latinè palmæ fructum, ut diximus, non verò genus palmæ præ aliis proceræ, ut quidam cenſent. Nam ἐλάτη Galeno eſt *teneræ palmæ germen*; Dioſcoridi, *fructûs palmarum adhuc florentium involucrum & calyx*; Marcellus vocat *corticoſum palmæ adhuc florentis operimentum*. Hujus autem elatæ cortex niger eſt, & aliquantùm ſubfulvus. Græcam præterea vocem ἐλάτην ſumi pro abiete patet ex lxx. qui eam hoc ſenſu uſurparunt Gen. 21. v. 15. Eſa. 41. v. 19. Ezech. 31. v. 8. Hinc viri doctiſſimi Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto, & in Octon. 15. Pſ. 118. & B. Paulinus in laudata epiſtola quarta ad Severum in præſenti ſacri Dramatis verſiculo per elatas intellexere abietes. Plinius lib. 12. hiſt. nat. c. 24. videtur inſuper exiſtimaſſe & arborem ipſam palmam dici *elaten*. Pagninus è Græco lxx. hîc vertit, *comæ ejus ductiles*, ſed malè, cùm omnes libri habeant ἐλάται, non ἔλατοι, quod eſt *ductiles*. ut patet ex iiſdem lxx. Num. 16. v. 3. neque dictio βόστρυχοι *crines* maſculini generis cum fœminina voce ἐλάται jungi congruè poſſit, atque ita verſio Pagnini eodem vitio laborat, quo Latina verſio, quâ B. Paulinus eſt uſus, *crines abietes nigræ*, cùm Græcè ſit, βόστρυχοι ἐλάται μέλανες ὡς κόραξ. Ergo crines nigri dici poſſunt, non abietes: ſed receptam verſionem ſollicitandam non cenſuit B. Paulinus, ut neque S. Ambroſius.

12. *Oculi ejus, &c.* Ut ſuprà cap. 1. v. 15. & 4. v. 1. ſponſæ, ita hîc ſponſo tribuuntur oculi columbarum, id eſt, puri, venuſti, ſimplices, & caſti. Deſcribuntur autem hîc columbæ ad aquas, quòd columbæ ad aquas oculos habent excitatiores, quia ad eas libentiùs degunt. Proinde Varro lib. 3. de re Ruſtica cap. 7. in deſcriptione περιστεροτροφείου, id eſt, *columbarii* ait: *Aquam puram eſſe oportet quæ influat, unde & bibere, & ubi ſe lavare poſſint; permundæ ſunt enim hæ volucres. Itaque na-*

storem columbaria quotquot mensibus oportet crebrò everrere.

Quæ lacte sunt lotæ. Id est, quæ sunt candidissimæ: ac si alba fierent, quæ lacte lavantur; ut nigra, quæ atramento. Tale est illud Job. 9. v. 30. *si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ.* Heb. ad verbum, *si lavero me aquis nivalibus, & mundavero smegmate manus meas.*

Resident juxta fluenta plenissima. Optimè textûs Hebræi mentem assecutus est Vulgatus interpres; dicuntur enim hîc columbæ Hebraicè ad verbum, *sedentes ad plenitudinem*, supple, aquarum (quomodo Scriptura passim agit de maris plenitudine, ut videre est. 1 Par. 16. v. 32. Ps. 95. v. 12. & 97. v. 9. &c.) id est, ad loca ubi aquæ scatent, & ad riparum altitudinem propè accedunt, ita ut sint potu faciles. Remotum est, quod Philo Carpathius, B. Greg. Mag. Beda, Philippus Abbas, &c. (quod legitur nusquam apud historiæ naturalis Scriptores, quod quidem sciam,) columbas ideò dicunt juxta fluenta residere, ut *volantium avium umbram in aqua videant, super quam se projicientes, ungues rapacium sic effugiant.* Sed videtur id ex parte sumtum ex historia cujusdam avis, quæ Arabicè vocatur *Chatipho-dhillihi*, quasi dicas *raptorem umbræ suæ*, quia *cùm umbram suam in aqua videt, accedit ad eam ut rapiat eam.* Ita Alcamus Lexicographus Arabs. Hæc avis à Damire vocatur *Koralia* voce Persicâ, & *Riphraph* à motitatione alarum, & *Mulaibo dhillihi, ludens cum umbra sua*, & asseritur esse in genere passerum, seu avicularum. Itaque hæc avis diversa est à graculis, de quibus dicit Tzetzes Chiliad. 4. Hist. 119. quòd *si in parva pelve oleum fundas, ad umbram suam graculos detinebis, ac si essent Narcissi Lacones, ex iis qui propriam umbram amant.* Obiter nota Narcissum non fuisse Laconem, sed Bœotum, ut testantur Ovidius lib. 3. Metam. Fab. 5. Conon Hist. 24. Strabo lib. 9. Hyginus Fab. 271. atque alii sine numero. Tamen Laconem facit Tzetzes loco laudato, & Chil. 1. Hist. 9. quasi fuerit Hyacinthi popularis, quem illi confert Hist. 11. Hic memoriæ lapsus ferendus non est in Tzetze, qui eo in loco ita se jactat, *Neque enim magis memorem Tzetze ullum alium Deus in vitam produxit, eorum qui fuerunt, aut nunc sunt.* Et paulò antè dixerat se omnes libros scire. Sed ut eò redeamus, unde digressi sumus, Hebræi Scripturæ interpretes, quæ nos ad columbas, ut ad columbarum oculos referant, sacra verba sic reddunt: *Oculi ejus ut columbarum* (oculi) *ad decursus aquarum, lacte loti, insiti in plenitudine*, id est, locum suum implentes, ut gemma palam, quod Hebraicè dicitur מלאת אבן, *impletio* seu *plenitudo lapidis* Exod. 28. v. 17. Ita Aben-Ezra, & R. Salomon, qui vult designari oculos columbarum pulchros esse,

esse, quia sicut gemmæ palis inclusæ, nec prominent, nec depressi sunt, sed ita siti ut fossam suam implcant. Hanc interpretationem sequuntur multi recentiores. Verùm hæc interpretatio displicet, primò quòd sic color lacteus oculis tribui videtur, quorum præcipua pars, id est, pupilla, nigra est, aut cærulea, &c. Secundò quòd, quamvis gemmæ palis inclusæ Hebraicè dicantur *lapides impletionum*, id est, qui palas implent, & insitio gemmæ in palam *impletio lapidis*, tamen gemma in palam insita nusquam dicitur יושבת על מלאה *manens*, seu *residens ad plenitudinem*. Neque etiam, id aptè dici potest; quis enim pecuniam ad sacci, aut vinum ad dolii plenitudinem manere vel stare dixerit, cùm saccus pecuniâ, aut vino dolium plenum est? Et hæc quidem de litera. Jam oculi sponsi designant constitutos à Christo Ecclesiæ Pastores & Doctores, qui priùs columbæ dicuntur, quàm ad rivulos aquarum residere memorentur. Nam ut benè Philo Carpathius in præsentem sacri Dramatis locum, *Omni labe puri, & defæcati, simplices, planéq; prudentes esse debent omnes hi, qui sacra cæteros, atque cœlestia docturi sunt & monituri, ob idque, postquam ipsi à fluentis Spiritûs sancti mundati sunt, & candore virtutis illustrati, juxta plenitudines aquarum residere dicuntur, ut Scripturæ sacræ profundæ, arcanàque vimantes, ea Christiano populo ad salutem summâ charitate impartiantur.*

13. *Genæ illius*, Hoc est, perpulchræ sponsi genæ concinnâ sui formâ & odoris suavitate similes sunt areolis aromatum, in quibus sedulo artificio, topiarióque opere à pigmentariis consitæ sunt odoriferæ plantationes. Porro pro eo quod habemus, *consitæ à pigmentariis*, Hebraicè habetur, מגדלות מרקחים, quod est ad verbum, *turriculæ aromatum*, nempe in quibus pretiosa aromata asservantur, ut illæ turriculæ id sint, quod hodie Gallicè vocamus *cassolettes*. *Genæ*, inquit Philo Carpathius, *Christi sunt sacræ Scripturæ, quæ unguentum suavissimum spirant ad omnem animi languorem sanandum.* Ut enim ex genis cognoscitur homo, ità planè ex sacris Scripturis apertissima Christi Domini cognitio comparatur; nam ut cecinit quidam de Prophetarum oraculis,

Omnia de Christo: per Christum cuncta loquuntur.

Labia illius lilia. Id est, liliorum instar (quæ ex Dioscori lib. 3. cap. 99. & Plin. Hist. lib. 21. cap. 5. in Syria sunt laudatissima) purpurea.

Distillantia myrrham primam. Heb. ad verbum, *myrrham transeuntem*, id est, maximè venalem, utpote quæ præstantissima est. His verbis adumbrat sponsa quàm suavis sit sermocinatio sponsi, in cujus labiis diffusa est gratia. Hæc autem commen-

dant amantiſſima amabiliſſimáque Chriſti verba, & divinam ipſius, ſive per ſe, ſive in miniſtris ſuis loquatur, eloquentiam, & dicendi vim maximam, gratiâ & veritate plenam.

14. *Manus illius tornatiles &c.* Id eſt, manus illius circumdantur annulis aureis, in quorum palis incluſi præfulgent hyacinthi. Sunt autem Chriſti manus veluti ſphæræ quædam aureæ, quæ in orbem continuò per beneficentiam, ſuarúmque gratiarum, in quibus ipſius munificentia mirificè reſplendet, lucem & influxum communicant mortalibus. Porro Chriſti manus dicuntur plenæ hyacinthis, quia omnis ejus operatio ad ſpem & deſiderium rerum cœleſtium nos excitat; hyacinthus enim ad cœleſtia repræſentanda adhibetur, quia hyacinthus tam gemma, quàm flos coloris eſt cœleſtis.

Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris. Heb. ad verbum, *venter*, ſeu *viſcera ejus polities eboris operta ſapphiris.* Senſus eſt, venter ſponſi candore & lævore non abſimilis ebori, (cujus ſcilicet tam inſignis eſt candor, ut illum certatim celebrent, tum ſacri, tum prophani ſcriptores,) operitur ſapphiris quàm fulgentiſſimis; atque ita ut capitis, ſic ſponſæ & nativam & adſcititiam ventris pulchritudinem laudat. Per ventrem autem intelligit totum corpus quod à collo ad imum ventrem interjacet, B. Petrus Damiani in ſerm. de S. Joanne Evangeliſta putat præſenti hemiſtichio deſignari in Chriſto diverſitatem humanitatis, à Divinitate inconfuſè ipſi unita. *In membris*, inquit, *humani corporis vix aliquid ventre fragilius, ſive tenerius inveniatur, ideóque per ventrem rectè fragilitas in Chriſto aſſumtæ humanitatis accipitur*; *ebur autem os eſt elephantis, quod videlicet animal fertur eſſe caſtiſſimum, frigidiſſimæque naturæ. Venter ergo ſponſi eburneus eſt, quia ſuſcepta redemtoris humanitas ab omni peccatorum contagio caſta prorſus, & inviolata permanſit; Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inventus in ore ejus. Sapphirus autem lapis eſt, ſereni cœli colorem habens: unde Exod. 24. in viſione Domini dicitur. Erat ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cùm ſerenum eſt. Per ſapphiros ergo opera Divinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus oſtendebat. Venter ergo ſponſi diſtinctus erat ſapphiris, quia Chriſti humanitas divinis virtutibus refulgebat. Nec plenus ſapphiris eſſe dicitur, ſed diſtinctus, ita videlicet, ut inter ſapphiros candor eboris appareret; quia ſic Dominus ex parte hominis aſſumti operabatur humana, ut aliquando nihilominùs ex parte Deitatis oſtenderet & Divina. Nam eſurire, flere, poſtremò crucifigi, & mori, humanitatis erant opera; miracula verò facere, & non ſolùm alios, ſed ſemetipſum etiam à mortuis ſuſcitare, evidentiſſima erant Divinitatis indicia.*

15. *Crura*

15. *Crura ejus columnæ marmoreæ.* Heb. שׁשׁ עמודי id est, Aquila & Theodotione interpretibus, *columnæ Parinæ.* Passim autem à veteribus Hebræum שׁישׁ vel שׁשׁ vertitur *Parinus*, seu *Parius lapis*, seu *Parium marmor*, ut videre est in Vulgat. & versione lxx. 1. Par. 29. v. 2. Esther. 1. v. 6. Marmor autem, quod ab insula Maris Ægei, (quæ dicitur Paros) Parium nominatur, est candidissimum. Itaque crurum nomine sponsa complectens tibias & femora, unicâ columnarum marmorearum similitudine quinque in eis commendat dotes, rectitudinis videlicet, candoris, roboris, soliditatis, & debitæ proportionatæque pinguedinis.

Quæ fundatæ sunt, &c. His verbis designat sponsa tam elegantem esse & concinnam crurum sponsi connexionem cum ipsius pedibus aureo calceamento ornatis, quàm eleganter & concinnè super bases aureas fundantur marmoreæ columnæ. Per Christi crura intelligimus quæ fecit & docuit; nam in omnem terram exivit sonus eorum. Doctrina autem & Christi merita assimilantur columnis marmoris Parii, quia veritatis candore, gratiæ pinguedine, rectitudine præceptorum, robore exemplorum, & soliditate promissorum Ecclesiam fulciunt & inflexibiliter sustentant. Hæ autem columnæ marmoreæ dicuntur fundatæ super bases aureas, quia vita & doctrina universa Christi super duplicem amoris basim. Dei videlicet & proximi sustinentur; quidquid enim Christus fecit & docuit, ad hunc retulit finem, ut Deo & hominibus vehementissimum suum testaretur amorem, sicque à Deo impetraret Ecclesiæ duplicem hanc, Dei scilicet ipsius & proximi dilectionem, & homines suo excitaret exemplo, ut juxta ipsius præceptum diligerent invicem, sicut ipse dilexerat eos propter Deum.

Species ejus ut Libani. Id est, aspectus ejus, seu quicquid in illo conspicitur, ut vultûs decor, oris lepor, habitus totius corporis, non minùs plenum est jucunditatis, quàm aspectus Libani herbarum, florum, atque arborum varietate amœnissimi. Christus Libano similis est, quia virtutibus viret, floret, vernat, & ut Libanus amœnus est. Nam cùm in cæteris hominibus divisio gratiarum reperiatur, ita ut hic prædituς sit aliquo dono gratiæ, quo alter careat, in Christo omnia gratiæ dona, & in summo quidem gradu concurrunt, quia, ut loquitur Apostolus, *in ipso complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare* Col. 1. vers. 19.

Electus ut cedri. Tantùm cæteros homines proceritate superat, quantùm cedri reliquis eminent arboribus. Nam Hebræis *electus* significat procerum, sicut *bonus* pulchrum, Sic. 1. Reg. 9. v. 2. Saül *electus & bonus* dicitur, & additur ratio, quia

ab

ab humero ſurſum eminebat ſuper omnem populum, & non erat in Iſraël eo melior, id eſt, pulchrior ; nam certè animo tunc melior Saüle erat Samuel, fortaſſis & alii. Hoc ſublimè quadrat in ſponſum Eccleſiæ Chriſtum, *qui eſt caput omnis principatûs, & poteſtatis*, ut dicitur Col. 2. v. 10. *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Heb. 1. v. 4.

16. *Guttur illius ſuaviſſimum.* Hebraicè ad verbum, *palatum ejus dulcedines*, id eſt, Chaldæo Paraphraſte interprete, *verba palati ejus ſunt dulcia ſicut mel.* Senſus eſt idem ac ſi diceret ſponſa, non ſolùm in ſponſo eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate, & inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt, ita ut ipſius pulchritudine ſpecies nulla vel excogitari poſſit ornatior ; verùm etiam tanta eſt ſuavitas ſermonis ejus, ut vox ſuavior audiri non poſſit. Hæc in Chriſtum præ filiis hominum formâ ſpecioſum quadrare aptè videntur, de quo vaticinatus eſt Eſaias cap. 42. *Non clamabit, nec audietur vox ejus foris*, & de quo dictum eſt Joan. 7. v. 46. *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Et ad quem Apoſtolorum coryphæus dicit Joan. 6. v. 69. *Verba vitæ æternæ habes.*

Totus deſiderabilis. Græcè ὅλος ἐπιθυμία, id eſt, *totus deſiderium.* Hæc verba ſic expendit B. Theodoret. *Dubitans*, inquit, *ſponſa quibus ſponſum laudibus præterea cumularet, uno verbo ſe expedit, & cuncta complectitur : quid, inquiens, in ſingulis ejus partibus pulchritudinis explicandis moror ? Totus eſt deſiderium, omnes ad ſe amandum trahit.* B. Hier. lib. 1. contra Jovin. hunc verſum his verbis laudat : *gutta ejus dulcedines, & totus concupiſcentia.* B. autem Ambroſius de Chriſto agens lib. 3. de fide cap. 5. *De quo alio*, inquit, *potuit Eccleſia dicere, Fauces ejus dulcedines, & totus deſiderium ?*

Talis eſt, &c. Id eſt, talis tantúſque eſt iſte, quem tam ardenter diligo : & ipſe cùm talis ac tantus ſit, ut hactenus recenſui, me amat, mihíque ſuâ adhærere amicitiâ non dedignatur. Advertit autem Caſſiodorus Chriſtum quidem dici dilectum Eccleſiæ per fidem vivam ipſi inhærentis ; amicum verò quia ipſam de vinculo peccati redemtam, ſecretorum ſuorum conſciam facere dignatus eſt.

Chorus Puellarum Ieroſolymitarum.

17. QUò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum ? Quò declinavit dilectus tuus, & quæremus cum tecum ?

EXPLICA-

EXPLICATIO.

17. *Vò abiit, &c.* Verbis ſponſæ de ſponſo adeò elegantèr ſuavitérque colloquentis, ita captæ atque incenſæ ſunt ſponſi amore ſodales ſponſæ, ut ſollicitè quærant ex ea, ut edíſſerat, quónam ille diverterit; ſe enim aiunt ſollicitudinis eum quærendi ſocias eſſe velle. Sic fideles animæ Eccleſiam de Chriſti laudibus ſermocinantem audientes, totæ flagrant deſiderio potiundi, fruendíque ipſò cœleſti Eccleſiæ ſponſo. Unde viam, modum, & media quærunt ab Eccleſia, quibus inveniri poſſit Chriſtus. *Nam qui ſine Eccleſia duce Chriſtum quærit, ex filiabus non Jeruſalem, ſed Belial eſt*, inquit venerabilis Beda, *errare, currere, fatigari poteſt, proficere aut invenire non poteſt*, aiunt Caſſiodorus & Haymo.

CAPUT SEXTUM.

Sponſa.

1. DIlectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.

1. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

EXPLICATIO.

1. *Dilectus, &c.* Quaſi dicat, non procul abiit, ſed in vicinia deſcendit in hortum ſuum, quò ſolet ſe recipere, ut ibi paſcat & lilia colligat. Ex mente S. Greg. Nyſſ. Hom. 15. deſcenſus ſponſi in hortum ſuum, deſcenſus eſt Dei in animam, ſeu in humanam naturam, quam pulcherrimum plantarat hortum ac paradiſum. Per areolam, ſeu ut lxx. vertunt *phialam aromatum*, intelligimus verarum virtutum fragrantiam. Paſcitur Chriſtus in hortis dum piis Sanctorum, vel naturæ à ſe aſſumtæ laboribus delectatur. Lilia colligit dum bonorum deſideriorum

fideriorum & operum famâ, ut liliorum odore recreatur.

2. *Ego dilecto, &c.* Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 16. In hæc autem verba erumpit sponsa, dum sodalium interrogationi respondens subitò comparere videt dilectum.

Sponsus.

3. PUlchra es, amica, suavis & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

4. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.

EXPLICATIO.

3. *Pulchra es, &c.* Alii ex Hebræo reddunt: *pulchra es amica mea, sicut Thirsa, decora sicut Jerusalem, terribilis sicut castra cum vexillis.* Quibus symbolis quis non videat ingentem, atque optimè cœlestibus armis instructam Christi fidelium multitudinem; uni capiti Christo copulatam, ejus sanguine, tanquam purpurâ fulgentem, ejus augustissimâ cruce tanquam vexillo conspicuam, sub ejus quasi Imperatoris auspiciis, in hoc seculo felici ausu, feliciorique spe militantem, in futuro verò, æternâ pace omnium bonorum accretione cumulatâ fruentem indicari? Est Ecclesia Christi *terribilis, ut castrorum acies ordinata,* contra quam *portæ inferi non prævalebunt*, universa nimirum

mirum ſpirituum infernorum poteſtas, exercitatiſſimæ, inquam copiæ, veterani milites, & ad omne audax facinus perpetrandum paratiſſimi : quales ad portas munitiſſimarum urbium tuendas ſolent deputari. Ad literam ſponſus dicit ſponſam æquè pulchram nobilémque eſſe, ac Thirſa civitas (cujus nomen Latinè redditur hîc *Suavis* à Vulgat.) ſitu & amœnitate loci ſpectatiſſima 3. Reg. 14. v. 17. & Jeruſalem *Urbs perfecti Doctoris*, ut dicitur Thren. 2. v. 15. ejuſdémque ſponſæ oculorum conjectum adeò vehementem eſſe atque violentum, dicit ſponſus, ut oculorum acies æquè formidabilis ſit, atque acies militum ad dimicandum inſtructa.

4. *Averte oculos, &c.* Hoc eſt, deſice paululùm oculos tuos à me; eorum enim vim acerrimam ferre non valens, à te, in cujus vultu alioquin acquieſco, invitus oculos abſtinere compellor, dum tantiſper reſpiro. Magnâ hîc energiâ exprimit cœleſtis ſponſus quanta ſit efficacia & virtus orationis & contemplationis, quarum ſymbolum ſunt oculi ſponſæ, ſeu Eccleſiæ; ipſi enim Deo, ſi dicere licet, robur ac dominium auferunt; *Sententia enim Dei ſanctorum precibus frangitur*, inquit B. Hier. in Ezech. 13. Itaque quem admodum Deus Exod. 32. v. 10. non mutabilitate animi, ſed ut Moſi deprecandi auſum præberet, dicebat illi, *Dimitte me ut irascatur furor meus*; ita hîc divinus Eccleſiæ ſponſus, ut ipſam magis atque magis ad ſui contemplationem inſtimulet, dicit ei, *Averte oculos, &c.* ſic oſtendens ei, quanti ipſe faciat ſanctos ſuos & preces eorum.

Capilli tui, &c. Quæ ſequuntur uſque ad verſum ſeptimum excluſivè, vide expoſita ſuprà cap. 4. verſ. v. 1. 2. & 3.

Quæ apparuerunt, Heb. שגלשו pro quo Vulgatus Interpres hîc & lxx. tum hîc, tum ſuprà cap. 4. v. 1. legiſſe videntur שגלו, *extrito Schin*, id eſt, *quæ apparuerunt*; nam גלה, eſt *revelari, apparere, videri*. Verùm quia verbum גלש nuſpiam occurrit, præterquam in duobus locis parallelis, in preſenti videlicet verſu, & ſuprà cap. 14. verſ. 1. variam varii ſignificationem ipſi tribuunt. Nam Aben-Ezra explicat שגלו *quæ apparent, & videntur, aut deteguntur ab oculo.* Rabbi Jonas, השביעו *manè surrexerunt*, tanquam ex lingua Arabica, quâ גולש auroram vocari aſſerit. Alii obſervant vocem גבח, quæ calvaſtrum ſignificat, ab *onkelo* reddi גלוש, & à *Jonathane* גלשלשן Levit. 13. v. 41. unde inferunt שגלשו reddendum eſſe, *quæ depilantur*; nempe inter dumeta, & ſpinas montis Galaad, in quibus hærere ſolent longiores caprarum villi. In qua ſententia ſunt præter Rabbi Salomonem Jarchi, Pomarius & Aquinas. Sed quia id videtur incommodum, ut ſponſæ crines conferantur, cum capris calvis & depilibus; *Capræ*, inquiunt,

unt, *in illo monte non planè depilantur, sed poliuntur, & comuntur inter arbusta sylvæ, atque ita decoræ fiunt, ac si pectine pecterentur.* Quæ res est sine exemplo, ut pili dumis hærentes sic digerantur, ac si cum arte & industria pexi fuissent. Nec si fieret, voce גלש id significaretur, si גלש est depilari; aliud enim est comi, aliud depilari & deglabrari; & pecten ad glabrum & calvum nihil attinet; unde in Apophoretis Martialis,

Quid faciet nullos hîc inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Et Phædrus, fabulâ 87.

Invenit calvus fortè in trivio pectinem,
Accessit alter æquè defectus pilis.
Heia, inquit, commune, quodcunque est lucri,
Ostendit ille prædam, & adjecit simul,
Supervm voluntas favit, sed fato invvido:
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

Inter recentiores alii vocem שגלשו reddunt, *quæ nitescunt*; alii, *quæ emicant*: alii, *quæ detondent*; supple, dumeta; alii, *quæ detondentur*; alii, *quæ se depilarunt*; alii, *quæ aspiciunt* seu *prospectant*. Verùm optimè redditur à Vulgato Interprete suprà cap. 4. v. 1. *quæ ascenderunt*; ita enim & Græci interpretes reddunt in hoc versu quarto præsentis capitis sexti, & Syrus tum hîc, tum suprà cap. 4. v. 1. vertit, *ut grex caprarum, qui ascendit.* Quod sumtum ex Arabica lingua, quâ *Gialosa* non solùm *sedere*, sed & *ascendere* significat, ut testatur Golius ex Giavhari, & *Gels*, est *terra elatior, mons excelsus.* Quò eódem facit quòd *auroram* vocari Arabicè גלש ait Rabbi Jonas; aurora enim nihil quidquam est, quàm ascensus solis. Præterea Chaldæis גלשושיתא vox palàm inde deducta significat collem & eminentiam. Nam Chaldæus in paraphrasi locorum sacri Dramatis, in quibus modò versamur, per capras Galaaditicas intelligit filios Jacob Patriarchæ, & vocem שגלשו interpretatur שעברו גלשושיתא כטורא גלעד, *qui collectis lapidibus eminentiam* (id est, acervum) *fecerunt in monte Galaad.* Eadem vox גל שושיתא in editione Antuerpiana & Parisiensi habetur in Chaldaica paraphrasi Eccles. 12. v. 8. pro *eminentia*, seu *colle*; ibi tamen in editione Buxtorfii legitur גב שושיתא per Beth.

Galaad. Hunc montem scatere resiniferis arboribus, quales sunt lentiscus, & terebinthus, proindéque aptum esse capris alendis diximus suprà cap. 4. v. 1.

5. *Dentes tui, &c.* Vide dicta suprà cap. 4. vers. 2.

6. *Sicut cortex, &c.* Vide quæ diximus cap. 4. vers. 3.

7. *Sexaginta sunt Reginæ, &c.* Sensus est, habeo quàm plurimas

plurimas Reginas, & longè plures concubinas, & insuper innumeras in gynæceo, è quo Reginæ vel concubinæ desumuntur, adolescentulas. Reginæ autem dicuntur uxores primariæ, non solius thori Regii, sed & regiminis domûs & bonorum mariti participes; concubinæ autem, uxores secundariæ, solius thori coniortes. S. Epiphanius in Compendio fidei Christianæ docet per sexaginta Reginas intelligendas esse sexaginta duas generationes ab Adam ad Christum usque, quæ compendio sexaginta vocantur, ut Septuaginta Interpretes pro septuaginta duobus; per octoginta pallacas, hæreses octoginta; per adolescentulas, quarum non est numerus, Philosophorum sectas & gentium varias Religiones.

8. *Una est mea columba, &c.* Quasi diceret, veruntamen hæc sponsa à me unicè diligitur, ipsique vicissim unice ium charus; quomodo in columbis mirus est amor inter conjuges, & conjugii est lex firmissima. Mutua est inter nos dilectio, & tanta quidem, quanta est inter unicam filiam & ipsius amantissimam paritérque amantissimam matrem. Allusit huc Tertul. de Monogamia cap. 8. *Ad simplicitatem columbæ provocat, avis non tantùm innocuæ, verùm & pudicæ, quam unam unus masculus novit.* Porrò amatoriam hanc dicendi formulam illustrat Tibullus lib. 4.

Tu mihi sola places, nec jam te præter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.

Jam per unicam columbam esse sanctam Dei Ecclesiam intelligendam communis est SS. PP. sententia. Quia nimirùm solus Christus diligitur ab Ecclesia, in solum ea credit, solum reveretur.

B. Greg. Magnus. *Mater nostra*, inquit, *est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles, cùm in id ipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum, & animam unam, in charitate se uniunt, ex multis membris unum corpus efficiunt, omnésque in unitatis simplicitate & unitate viventes, una columba existunt; quæ sola perfecta, & electa genitrici suæ dicitur: quia extra hanc, quam diximus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam, gratiâ fovente, nutritur.*

Viderunt eam, &c. Id est, omnes illæ Reginæ, concubinæ, & puellæ simul atque tam speciosam, tam ornatam, tam sponso charam, & omnibus ab ipso prælatam sponsam intentis oculis contemplantur, immensis laudibus & encomiis eam in cœlum efferunt. Porro hæc quàm optimè quadrare in sanctam & Catholicam

licam Ecclesiam nemo diffitebitur, qui seriò expenderit quot & quantis encomiis fuerit celebrata à Patriarchis & Prophetis, qui eam ut futuram sponsam in sponso nascituro aliquando prospexerunt. Hanc Philosophi beatam pronunciaverunt, dum deposito erroris magisterio discipuli facti sunt veritatis, cujus ipsa est columna & firmamentum. Hanc & ipsi quoque hæritici celebrare convincuntur, dum ut incautos ad suam sectam alliciant, ementiuntur apud se solos esse Ecclesiam Catholicam. Verùm *non humanis documentis, sed divinis oraculis Sancta Ecclesia demonstranda est*, ut præclarè ait Aug. lib. De unitate Ecclesiæ cap. 3.

Puellarum Chorus.

9. QUæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

EXPLICATIO.

9. *QUæ est ista, &c.* Sensus est, quæ est ista, cujus insignis decor & pulchritudo sicut auroræ stella inter alias stellas emicat, lunæ instar coruscat, rutilat ut sol, & in modum aciei instructæ est ad aspectum pulcherrima & cum quodam stupore admirabilis? Hæc optimè quadrant in Philosophos obstupescentes & demirantes sinceriſſimam sapientiam, quâ præ aliis cujusvis sectæ hominibus fulget Ecclesia Catholica sole justitiæ illustrata; ita ut cuncta & singula ipsius de fide & moribus dogmata non modò erroris & vitii maculâ careant, sed & maximo sanctitatis & veritatis fulgore splendeant & colluceant, cùm *Græciæ scholæ*, ut loquitur B. Prosper adversus Collatorem, cap. 26. *Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa invenienda summum bonum, acerrimis studiis, excellentissimis ingeniis laborando nihil egerint, nisi ut evanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui ad noscendam veritatem semetipsis ducibus utebantur.*

Sponsam

Sponſam abeuntem revocat accurrens quàm velociſſimè ſponſus.

10. DEſcendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.

11. Neſcivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12. Revertere, Revertere Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

EXPLICATIO.

10. *UT viderem poma convallium.* Hebræi ferè omnes reddunt *convallis*, quos imitatus eſt Pagninus. Lxx. vertunt, *deſcendi in hortum nucis videre genimina torrentis.* Symmachus vertit, *ad conſiderandos fructus convallis*; alius verò interpres Græcus, *ad videndum fructum torrentium.* Vatablus Græcos ſequutus, *ut ſpectarem*, inquit, *virentes plantas ad torrentem.* Quæ omnes verſiones ita cum Vulgata noſtra lectione conſpirant, ut locum hujus horti manifeſtè oſtendant; nempe vallem Hennon, in quam, utpote humili loco ſitam à Regia Salomonis deſcendendum omninò erat. Irrigabat autem vallem hanc, & Regium hortum torrens Cedron. Quare meritò deſcendit, ut videret pomifera ligna horti, quæ juxta torrentis fluenta, uberiores & pulchriores fructus afferebant; vel ſi malis juxta Vulgatam interpretari, deſcendit videre fructus, vel poma lignorum, quæ juxta diductos per declivia convallis plures rivulos plantata ſunt. Quòd enim plurium horti ſui fructuum copiam commendet, non *convallis* ſed *convallium* dixit, per quas decurrunt aquarum rivuli, propterea̅que etiam citatus Græcus Interpres, *torrentium* dixit, non *torrentis*, cùm unus tantummodò Cedron torrens legatur, aut hodiernâ die conſpiciatur propter Hieroſolymam fluere. Mens verborum ſponſi eſt eadem ac ſi diceret ad ſponſam amabiliſſimam: Tandem ad te veluti ad hortum pretioſiſſimum, pariter & amœniſſimum diverti deliciarum causâ & voluptatis. Jam autem ſuprà c. 4. v. 12. ſponſus ſponſam comparaverat cum horto concluſo, & ibid. v. 15. cum fonte hortorum, qui ſcilicet, ut refert Schindlerus, oritur

ad pedem Libani, rigans omnes hortos, & totam regionem quæ est inter Libanum & Tripolim. Porrò tam arbores quàm herbæ septo cinctæ & munitæ horti nomine significantur. Sic cœlestis sponsus hîc inducitur quasi jamjam descendens è cœlis, quasi è sinu Patris ad desponsatam sibi Ecclesiam in perpetua charitate dilectam per Incarnationis mysterium animi gratiâ, veluti ad Paradisum voluptatis diverteus, quia deliciæ ipsius, esse cum filiis hominum.

11. *Nescivi, &c.* Sensus est, mei quasi oblitus de hoc uno fui solicitus, ut quàm velocissimè ad sponsam venirem, nec ad eam occurrens velocitate vel à celerrimis quadrigis anteverterer. Idem est sensus textûs Hebræi, qui sic habet ad verbum, *nescivi, anima mea posuit me currus Ammi nadib*, id est, *populi mei Principis*. Nempe Principes, & aulici, qualis fortean ævo Salomonis fuit Aminadab, solent subvehi celerrimis in quadrigis. Et reverà Christus Ecclesiæ sponsus, suæ quasi Divinitatis & majestatis oblitus, in plenitudine temporum exinanivit semetipsum formam servi accipiens, & ut quàm citissimè à summo cœlo ad desponsatam sibi in terris Ecclesiam adveniret, & matrimonio consummato una cum ipsa fieret caro, à Regalibus sedibus veniens exultavit ut gigas ad viam incomparabili velocitate currendam; ut enim ait B. Greg. 18. Moral. cap. 27. *Nuntiante Angelo, & Spiritu sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.* Et B. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum cap. 18. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, non carnem Christi sine Divinitate conceptam in utero Virginis priusquàm susciperetur à Verbo; sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsámque carnem Verbi Incarnatione conceptam.*

12. *Revertere, &c.* Quasi dicat, Revertens occurre ocyùs, ô perfectissima mulierum; revertere, inquam, revertere festinanter, ut nos te contemplemur. Nempe sponsus sponsæ absentiam minimè ferens, tèrque, quatèrque eam abeuntem ad se quàm suavissimè revocat. Ecclesiam sibi olim desponsatam Divinis promissionibus & doctrinis insignitam præ cunctis gentibus, & Patriarcharum Prophetarúmque miraculis & exemplis decoratam relictâ Dei Lege traditiones hominum sequentem, & post concupiscentias suas abeuntem accurrens Salvator ad se benignè & misericorditer revocat, ut ipsam intueatur, *Oculo*, inquit D. Th. *misericordiæ, misserendo ipsius.*

Sulamitis. Id est, Jerosolymitana. Sic autem dicitur speciosa Salomonis sponsa ob insignem formæ decorem, ratione cujus suprà v. 3. describitur *pulchra, suavis & decora sicut Jerusalem.* Pro voce, *Sulamitis*, multi codices Græci & Latini habent, *Sunamitis*,

namitis, ut & Officium Eccleſiaſticum Romanenſium habet in communi Virginum. Fortè quia Abiſag Sunamitis aſſumta ad calefaciendum Regem David ſenio confectum, *erat*, ut dicitur 3 Reg. 1.v. 4. *puella pulchrâ nimis*, Sunamitides dictæſunt omnes virgines præ cæteris ſpecioſæ & formâ inſignes. Sic nos Ciceronem vocamus, qui eloquentiâ præ cæteris pollet. Sic ipſe Chriſtus Joannem Baptiſtam vocavit Eliam, Mat. 17. v. 12. quia ſpiritu & virtute Eliæ præditus erat. Philo Carpathius pro voce, *Sulamitis*, vel *Sunamitis*, ſolus legit *Odollamitis*; hâncque vocem interpretatur *teſtimonium in aqua.*

CAPUT SEPTIMUM.

Iterum erumpit ſponſus in ſponſæ laudes.

1. QUid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?

EXPLICATIO.

1. *QUid videbis, &c.* Heb. & Græc. *videbitis.* Senſus eſt idem, ac ſi diceret, Sponſæ pulchritudo inſtar numeroſi exercitûs, & aciei inſtructæ potentiſſima eſt ad quodlibet ferreum pectus molliendum; quia videlicet intuentes non in admirationem tantùm, ſed in ſtuporem convertit. Vide quæ diximus ſuprà cap. 6. v. 9. Certè Eccleſiæ Deo deſponſatæ infuſa divinitùs pulchritudo, quæ ex multarum virtutum varietate conflatur, intuentium oculos totos ad ſui admirationem convertit, & rapit.

In Sulamite. Sulamitis interpretatur Pacifica, quòd nomen optimè quadrat in Eccleſiam deſponſatam Regi pacifico ſuper omnes reges univerſæ terræ magnificato. Hinc & Eccleſia toties in hoc ſacro Dramate aſſimilatur columbæ, quæ ab Ovidio Metam. lib. 7. Fabulâ. 12. vocatur *Placida*, quia ut ait B. Cyrillus Alexandrinus lib. 15. de Adoratione. *ſupremum manſuetudinis faſtigium attingit.* Vide Commentarium noſtrum in Math. 10. v. 16. Hinc & Apoſtolus monet & dicit in Epiſtola ad Titum c. 1. v. 7. & 8. Eccleſiæ Epiſcopum oportere eſſe *benignum, non iracundum.* Ad quæ verba Hieronymus : *Sciat Epiſcopus & Presbyter ſibi populum conſervum eſſe non ſervum: re-*

verà nihil eſt fœdius præceptore furioſo : neque verò qui aliquando iraſcitur, iracundus eſt : ſed qui crebrò hac paſſione ſuperatur, torvo vultu, trementibus labiis, rugatâ fronte, effrænatis conviciis, facie inter pallorem & ruborem variatâ, clamore perſtrepens, & errantes non tam ad bonum retrahens, quàm ad malum ſævitiâ ſuâ præcipitans. Appoſitè hanc in rem Cicero in lib. 1. de Officiis : *Semper ira procul abſit, cum qua nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt ; quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis qui adſunt probari.*

Inchoatam ſponſæ laudationem proſequitur ſponſus ipſam alloquens.

1. QUàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis ! Juncturæ fœmorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.

2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis : venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.

3. Duo ubera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta Filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

5. Caput tuum ut Carmelus. Et comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.

6. Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis !

7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.

8. Dixi : aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus : & erunt ubera tua ſicut botri vineæ. Et odor oris tui ſicut malorum.

9. Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.

EXPLI-

EXPLICATIO.

1. *Quàm pulchri, &c.* Id eſt, quàm elegantiſſimo calceamentorum ornatu, ut Principis filiam decet, pedes tui ornantur. Magna pars integri encomii, quod in hoc capite continetur, decorem ſponſæ commendat, à comtu potiùs aſcititio, quàm à natura. Hîc ergo deſponſatæ ſibi puellæ venuſtatem ſponſus à calceamentis commendat; quomodo & Homerus in Hymno Mercurii matrem ipſius, Maiam ſcilicet Atlantis ex Pleione Nympha filiam vocat καλλιπέδιλον, *pulchra calceamenta habentem.* De cura autem & elegantia calceorum apertum eſt teſtimonium in hiſtoria Rhodopidis puellæ venuſtiſſimæ, cui dum lavaret, aquila calceum rapuit, illúmque longè aſportatum in ſinum Pſammetichi Regis Ægypti demiſit, qui ut fert Ælianus Hiſt. var. lib. 13. c. 33. *miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem, & concinnitatem,* puellam, cujus ille erat, ſummo labore & diligentiâ quæſitam abduxit ſibi copulandam.

Pedes Eccleſiæ Deo deſponſatæ affectus ſunt cordis, quibus ad Deum accédit. Perelegantes, & apti ad hos pedes calcei decor eſt virginitatis ex B. Hieronymo contra Jovinianum. *Eſt quidem paucorum* in Eccleſia *virginitas in carne,* inquit Aug. in Pſ. 147. *omnium debet eſſe in corde. Virginitas carnis corpus intactum; virginitas cordis fides incorrupta.* Idem tract. 13. in Joan. *Integritas etiam corporis eſt in Eccleſia, & honorabilius membrum; alia non in corpore, ſed omnia in mente ſervant virginitatem. Quæ eſt virginitas mentis? Integritas fidei, ſolida ſpes, ſincera charitas.* Itaque ut ait idem S. Doctor Serm. 23. de verbis Domini ſecundum Matthæum, *Tota Eccleſia, quæ conſtat ex virginibus, & pueris, & maritatis, & uxoratis, uno nomine Virgo eſt appellata. Unde hoc probamus? Apoſtolum audi dicentem, non ſolis ſanctimonialibus, ſed univerſæ potiùs Eccleſiæ Dei: Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Filia Principis dicitur Eccleſia, quia verè eſt filia Spiritûs ſancti, quem B. Theodoretus hîc Principis vocabulo ſignificatum ait, & idcirco Spiritûs Principalis nomine Pſalm. 50. appellatum.

Greſſus. Heb. פְּעָמִיךְ *plantæ,* & per ſynecdochen, *pedes.*

Filia Principis. Hæc ſponſæ appellatio ſatis indicat eam ſic ſub habitu paſtorali latere, ut tamen ſemper & Regiam perſonam, Regiúmque ornatum, ut ipſius natalium ſplendorem decet, retineat.

Junctura femorum, &c. Id est, cingulum, quod est in ambitu lumborum tuorum, æquat magnificentiam cujusvis mundi muliebris, quantumvis affabrè facti & concinnati. Significat autem cœlestis sponsus hac locutione desponsatam sibi Ecclesiam æquè ornari omnium concupiscentiarum refrænatione, quâ juxta principis Apostolorum præceptum 1 Pet. 1. v. 13. mentis nostræ lumbi succinguntur, atque mulier speciosa pretiosissimis quibusque ornamentis & summo artificio factis.

Junctura. Heb. חמוקי, quam vocem interpretamur hîc *cingulum*, quo femora, seu lumbi præcinguntur & ambiuntur. Derivatur autem vox Hebræa à radice חמק, id est, *circuivit*. Quia autem cinguli beneficio partes vestium in terram defluentes cum iis, quæ corpus contegant, juxta femora conjunguntur, cingulum sponsæ potuit appellari *Junctura femorum*. Quin & vox Hebræa ירך non tantùm *femur* sonat, sed & *latus, pedem, coxam, lumbos, &c.*

Monilia. Heb. חלאים à nomine Arabico singulari חלי, Jod & Aleph permutatis; ut in צבאים ex צבי & פחיאים ex פחי. Est autem חלי apud Arabes propriè mundus muliebris, ut videre est apud Eutychium Alexandrinum Patriarcham in Annalibus, ubi loquitur de vitulo aureo pag. 106. & in Arabica Paraphrasi 1 Pet. 3. v. 3. A Vulgato interprete hæc vox Arabica hîc & Oseæ 2. v. 13. redditur *monile*; cùm autem monile non sit nisi pars ornatûs muliebris, synecdochicè per monile, seu monilia intelligendum est quicquid spectat ad mulieris ornatum. Sæpe vox חלי latiùs sumitur Arabicè, & in virorum etiam ornamenta quadrat; unde apud Geographum Nubiensem usurpatur de Nigritis, & de Rege Abutalebo; & apud mox laudatum Eutychium pag. 205. de Rege Josaphat.

Fabricata sunt manu artificis. Non cujusvis, sed aurifabri, cujus est monilia, torques, annulos, & minuta hujusmodi, quæ ad muliebrem mundum pertinent, fabricare & concinnare.

2. *Umbilicus tuus, &c.* Q. d. Est & circa umbilicum tuum gemma non absimilis crateri lunæ instar rotundo, cujus gemmæ pulchritudo & splendor nunquam deficit, quia semper munda est, ut sunt crateres, *qui frequenter*, inquit Menochius, *adhibentur à convivis, ideòque etiam frequenter abluuntur.*

Indigens poculis. Id est, vacuus potionibus, quo sensu & Virg. 1. Georg. dixit,

Poculáque inventis Acheloia miscuit uvis.

Umbilicus, inquit B. Petrus Damiani Serm. 2. in natali Virginum, *fragilissima pars corporis est. Quid ergo per Ecclesiæ designatur umbilicum, nisi cœtus infirmorum, atque debilium? Quid verò per craterem, nisi prædicatorum intelligimus ordinem, qui nimirùm*

mirùm mentibus auditorum cœlestis doctrinæ vina propinant, eáſque poculis ſanctæ prædicationis inebriant? Umbilicus ergo crater meritò comparatur, quia plerumque debilis & infirmus quilibet vas doctrinæ cœlestis efficitur. Qui non indiget poculis: quia cœlestis eloquii non deſinit irriguus eſſe fluentis. Unde benè crater hic tornatilis dicitur, torno ſiquidem quis facilius operatur. Expeditius enim ſæpè atque inoffensè in ſancta prædicatione diſcurrunt, qui prædicationis gratiam non ſuo ſtudio, ſed divinitùs acceperunt.

Venter tuus, &c. Id eſt, pro ventris ornatu habes gratiſſimum texturæ opus, ſpicarum ſcilicet tritici faſciculum liliis ſeptum phrygio opere veſti pulchrè & artificioſè intextum. Per ventrem ſponſæ deſignatur Eccleſiæ fœcunditas, quâ cum Chriſto mater eſt populorum. Magnum hujus fœcunditatis & amplum decus eſt certus prædeſtinatorum numerus, quos in tempore meſſis deſtinato ſecernendis electis è medio reproborum meſſores Angeli ligant in faſciculum, ut eos meritis graves in cœleſte horreum deportent veluti triticum, cùm reprobos adinſtar palearum leves igni inextinguibili comburendos tradant. Hic electorum faſciculus eſt vallatus liliis, quia nihil ad cuſtodiendos electos immaculatos ab hoc ſeculo fortius, ac firmius eſt puritate mentis, quâ ſoli Deo placere appetunt, & diſplicere timent.

3. *Duo ubera, &c.* Poſt laudata ſponſæ ornamenta innatam ipſi pulchritudinem laudare aggreditur amantiſſimus ſponſus. Eſt autem hic verſus expoſitus ſuprà cap. 4. v. 5.

4. *Collum tuum*, Supple, nitore & candore.

Sicut turris eburnea. Id eſt, turriculæ eburneæ ſimillimum eſt. *Per collum*, inquit Menochius, *fides Eccleſiæ commodè intelligitur, quæ eboris inſtar candida, ſolida, & incorrupta eſt.* Vide dicta ſuprà cap. 4. v. 4.

Oculi tui, &c. Quaſi dicat, Oculi tui decenter magni, tranquilli & ſereni mihi videntur exprimere amplas illas piſcinas ſtabilium & clariſſimarum aquarum plenas, quæ ſunt ad illam urbis Heſebon portam, quæ appellatur *Bath-rabbim*, id eſt, juxta Vulgatum Interpretem, *Filia multitudinis*, vel quòd juxta hanc portam eſſet forum peramplum & hominum frequentiâ celeberrimum, ut vult Ludovicus Legionenſis, vel quia illâ portâ ibatur ad vicinam urbem Philadelphiam cui apud Hebræos nomen erat *Rabbathammon*, ut Maſius arbitratur, quod dici poſſe non negat Legionenſis. Oculis ſponſæ deſignatur Eccleſiæ intentio, quæ ampla eſt propter multitudinem operum, tranquilla, quia confidit in Domino, denique ſereniſſima & ſplendidiſſima eſt propter puritatem, quâ illud unum aſpicit quod aſpiciendum

endum est, & totam se in soliditate æternitatis figit, *Ne*, ut loquitur B. Greg. Hom. 27. in Evang. *si extra fundamentum actionis fabrica ponitur, terrâ debiscente solvatur.* Sunt ergo oculi seu intentiones sanctæ Dei Ecclesiæ amplis, claris, & limpidis urbis Hesebon piscinis similes.

In Hesebon, Fuit Hesebon urbs citra Jordanem in sorte tribûs Ruben, in qua urbe olim fuit Regia Sehon Regis Amorrhæorum stagnis, aquisque pulchris abundans. B. Ambrosius in Ps. 118. Serm. 16. *Stagna in Hesebon*, inquit, *quid est, nisi in cogitationibus rationalibus abundantia, quæ est in portis Ecclesiæ, cui meritò defertur multitudo doctrinæ, &c.* Alludit S. Doctor ad significationem vocis *Hesebon*, quæ significat cogitationem; quo vocabulo in sua versione usus est Aquila. Hinc B. Theodoret, enarrans presentem sacri Dramatis locum, ait: *Docet sponsus animarum piarum oculos esse veluti piscinas quasdam, quæ divina fluenta suscipiunt, atque exundant perpetuò, propter multitudinem divinorum, quæ illis subinde revelantur, & propter excellentem cognitionem rerum divinarum, &c.*

Nasus tuus, &c. Quasi dicat, pulcherrimus nasus tuus non minùs addit decoris & ornamenti decoræ faciei tuæ, quàm Libano aspectu gratissimo addit turris illa quæ in ipso est è regione Damasci Syriæ illius, quæ inde Damascena vocatur, Metropoleos pulcherrimæ, maximæ, & fertilissimæ. Sic suprà cap. 5. v. 15. gratum sponsi aspectum assimilavit amœno monti Libano, cedris virentibus, innumeris arboribus fructiferis, herbis aromaticis, floribus pulcherrimis convestito, dicens: *Species ejus ut Libani.* Significat facies intentionem, unde B. Greg. Hom. 4. in Ezech. sic accipit illud, quod dicitur de animalibus *facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper. Facies*, inquit, *& pennæ extentæ desuper describuntur, quia omnis intentio, omnisque contemplatio sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit. Nam qui bona agere videtur & per hæc non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suæ faciem deorsum promit: & qui in contemplatione Dei, non dulcedine beatitudinis satiari appetit, sed doctus videri, iste nimirùm intellectûs sui pennas desuper non extendit.* Faciei igitur Ecclesiæ, id est, sanctis & puris ipsius intentionibus insigne decus addit per nasum, qui odores discernit, designata spirituum discretio, quæ turris Libaniæ instar *& alta est, & munita, ut vitia virtutibus superet, atque incursus malignorum spirituum avertat*, ut loquitur B. Greg. Hac spirituum discretione, vique discernendi veras virtutes à vitiis, & errores à veritate eget Ecclesia, ut charitatem habens in intentione, habeat & veritatem in electione, sicque gaudeat laudatâ à Domino in Evangelio

oculorum

oculorum ſimplicitate. Etenim, *ut interior oculus*, inquit præclarè Bernardus lib. de præcepto & diſpenſ. cap. 17. *verè ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat: habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique verè ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: Ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentiâ, atque prudentiâ: ut oculus videlicet cordis non ſolùm pius, qui fallere nolit; ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit.*

5. *Caput tuum ut Carmelus.* Doctiſſimus Samuël Bochartus in parte poſteriore, de animalibus Scripturæ lib. 5. cap. 9. ex Talmudicis probat purpurariæ piſcationis locum in Judæa à ſcalis Tyriorum uſque ad Chaipham & Carmelum patuiſſe ſtadiis circiter 230. Tyri Scalarum ſitum docet Joſephus belli Judaici libri ſecundi cap. 9. ubi Ptolemaidem Septentrionem verſus ſcribit montem habere altiſſimum, ſtadiis centum diſſitum, *quem Scalam Tyriorum vocant incolæ.* Ibidem Carmelum legas à Ptolemaide ad Meridiem abeſſe 120. ſtadiis. Porrò ad Carmeli radices fuit Chaipha, ut teſtatur Geographus Nubienſis clim. 3. part. 5. & Rabbi Benjamin in itinerario poſtquam egit de Accho, ſeu Ptolemaide pag. 36. & Brocardus in deſcriptione itineris ab urbe Accho, ſeu Ptolemaide verſus auſtrum. Tamen, ut advertit idem Bochartus, à Tyri Scalis uſque ad Chaipham purpurarum ubique non fuit par copia, ſed harum præcipua ubertas circa Carmelum & Chaipham. Eò ſcilicet videtur referendum quod in Guillelmo Tyrio Chaiphæ vetus nomen fuit *Porphyria*, ut eadem fuerit quæ Phœniciæ Πορφυρεὼν apud Stephanum ex libro 5. Polybii, tanquam à purpuræ piſcatione facto nomine. Præterea 2 Paral. 2. v. 7. & 14. & cap. 3. v. 14. *Carmil* ponitur inter purpuræ ſpecies. Coccum reddunt interpretes, ego purpuræ genus ad Carmelum capi ſolitæ. *Huc facit*, inquit Bochartus, *quòd Carmel, & Argaman, id eſt, purpura, palàm ſunt ſynonyma, in his Cantici verbis capitis ſeptimi verſu quinto, Caput tuum ſicut Carmel, & cincinnus capitis tui ſicut Argaman, ſeu purpura.*

Comæ capitis tui, &c. Repetit ſponſus in hoc hemiſtichio aliis

aliis verbis, quod in priori hemistichio dixerat. Quod non rarum est in Scripturis, maximè in libris Job, Psalmorum & Salomonis. Commendat itaque modò sponsus in præsenti versu sponsæ cæsariem regio ornatu pulcherrimam, eámque assimilat *colligaturis florum*, ut loquitur Menochius, *sericorum, vel laneorum, quæ destinantur paludamento regio texendo, suntque purpurâ recens facatæ, postea, ne dilabantur, firmiter alligatæ in purpurariorum canalibus, ut iterum melius, & penitius tinganter.* Coma capitis sanctæ Dei Ecclesiæ ut purpura est Regis vincta canalibus, quia *sicut per caput intelligimus mentem*, ut loquitur B. Petrus Damiani Serm. de Sancta Columba, *ita per comas capitis non inconvenienter accipimus cogitationes. Sicut enim capilli de vertice prodeunt, ita cogitationes ex mente procedunt. Purpureus verò color, quia sanguinis habet speciem, quid per mysterium, nisi Dominicam innuit passionem? Quid verò canales, nisi sanctorum significant mentes? Sicut enim in canalibus conchyliorum sanguis effunditur, ut in purpureum colorem lana vertatur; sic in sanctorum mentibus Dominicæ passionis cruor assiduâ meditatione recolitur. Et ita quodam modo pia quælibet anima sanguine tingitur, ut æterni Regis purpuram imitetur. Hoc nimirum modo efficimur Salvatori nostro conformes, ut simus etiam meritò postmodùm cohæredes.*

6. *Quàm pulchra, &c.* Sensus est, quis explicet quàm pulchra & venusta sis, ô amoris deliciæ? Cœlestis sponsus Ecclesiam, cujus consuetudine maximè delectatur, vocat *amoris delicias*, seu, ut habet textus Hebræus & lxx. *amorem in deliciis*, seu, ut habet Vulgatus Interpres, *charissimam in deliciis*, quia ipse de se ait Prov. 8. v. 31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Huic Ecclesiæ divinitùs data est pulchritudo, quæ vincat decore famam, gloriam virtute, & reipsâ nomen.

7. *Statura tua, &c.* Hoc est, reliquas omnes pulchras fœminas altitudine & proceritate æquè ac pulchritudine & elegantiâ antecellis, atque cum ipsis comparata palmæ victricis instar obtines. Meritò autem Ecclesia, cujus conversatio in cœlis est, palmæ comparatur. *Est enim*, inquit Philo Judæorum disertissimus in lib. 1. de vita Mosis, *arborum præstantissima, quæ aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum, & vitalem vim habet, non in radicibus defossam, ut ceteræ, sed in summo, quasi cor, sitam in ramorum medio, à quibus circumquaque stipatur, ceu Princeps à suis satellitibus. Cujusmodi natura est etiam mentis, quæcumque sanctitatem degustavit. Solet enim hæc sursum spectare, & in sublimibus versari, occupata contemplandis divinis pulchritudinibus, nauci faciens terrena; & hæc lusus reputans, illa seria.*

Ubera

Vbera tua botris. Supple ex versu mox sequente, *vineæ.* Duo potissimùm sunt indicia, quibus dignoscitur num puella sit dicenda mulier & sponsæ nomine digna; nempe cùm grandior effecta conspicitur staturâ procerâ, ut compertum est; & cùm eidem ubera excreverint, & extumuerint, prout asserit Arist. lib. 7. Hist. anim. cap. 1. Ad ista duo indicia exprimenda tales sponsus in præsenti versu adhibet similitudines, ut simul commendet pulchritudinem & corporis proceri, & uberum copiâ lactis tumentium. Hæc ipsa quoque indicia ad idem affert Dominus Ezech. 16. v. 7. *Et grandis effecta es, & perveniſti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt.* Per ubera sponsæ tumentia designatur gemina Ecclesiæ charitas, seu dilectio, Dei scilicet, & proximi, succo pietatis plena, *quæ*, ut loquitur B. Greg. Magnus, *animam quam possident, vino cœlesti inebriant & nutriunt.*

8. *Dixi ascendam, &c.* Persistens sponsus in comparatione palmæ & botrorum ait se animum induxisse sponsæ corporis staturâ pulcherrimæ adhærere, ut continuò ad complexum, & ad osculum ipsius possit currere; sicque fruatur & castissimis ipsius blandimentis sibi quâvis voluptate dulcioribus, & suavitatibus odorum, qui afflantur è facie ejus, non minùs jucundis quàm suavissima malorum fragrantia. Ubera pro blanditiis & aliis finceri amoris, summæque benevolentiæ indiciis sumi apud Hebræos observatum est suprà cap. 1. v. 1. Sumuntur autem botri vineæ hîc eodem sensu, quo ibidem vinum, nempe pro quolibet deliciarum genere. Similiter odor malorum usurpatur pro quavis suavitate afflata odoratione percepta, ut suprà cap. 1. unguenta optima, & odor unguentorum. Cassiodorus, quem sequitur & venerabilis Beda, ait per palmam, quam Christus ipse se ascensurum dicit; posse intelligi & Ecclesiam, & piam quamque animam, quam suprà hortum nominavit, ut in eandem velut in hortum descenderit per gratiæ immissionem, & ut in palmam ascenderit per ejus profectûs & gratiæ augmentum: illius verò apprehendat fructus bonorum operum, atque laborum, quò illos remuneret. Quantò autem Ecclesia, vel pia quælibet anima intimiùs fuerit unita Christo, seu magis profecerit in gratia, tantò uberiùs geminæ ipsius dilectionis ubera incipiunt lac pietatis, &, ut loquitur B. Petrus Damiani Serm. de Invent. S. Crucis, *spiritualis lætitiæ vina diffundere*, atque tota illius conversationis facies magis incipit *odorem cœlestis concupiscentiæ humanarum mentium naribus inspirare.*

9. *Guttur tuum, &c.* Hæc dici de sponsa patet ex pronomine *tuum*, quod Hebraicè est pronomen affixum fœminini generis. Sensus est idem, ac si diceret sponsus, Incredibiliter dele-

ctor

ctor ſuaviloquentiâ tuâ, nec ſolùm delector, ſed etiam ſine ſatietate delector.

Sicut vinum optimum. Quo ſcilicet nihil jucundiùs quis bibit ut fruatur voluptate potandi.

Dignum dilecto meo. Heb. *Vadens ad dilectum meum directè.* Senſus eſt idem, ac dum Gallicè optimum vinum familiari epitheto nuncupamus *vin d'amis.*

Labiiſque & dentibus illius ad ruminandum. Heb. ad verbum, *loquens in labiis dormientium.* Senſus eſt idem, quia hac totâ periphraſi nihil aliud intendit ſponſus, quàm vini, cum cujus ſuavitate ſponſæ ſermocinationem confert, generoſitatem exprimere; hanc autem æquè exprimit Vulgata editio, atque textus Hebræus. Solent quippe homines, ut potandi voluptate fruantur, cùm vinum generoſum & ſuave hauriunt, illius hauſtulum ore verſare, & reguſtare, quaſi linguam, palatum, & dentes illo abluentes, ut ſimul & ſuavitate vini oblectentur, & illius odore focillentur. Similiter vinum optimum efficit, ut etiam dormientium labia moveantur, ſonum edant, & verba quædam murmurent, ſeu muſſitent; ſenſus enim excitat, & animum recreat. Porrò hoc ſponſæ encomio ſignificat cæleſtis Eccleſiæ ſponſus ipſius ſermones de rebus ſpiritualibus ac divinis eſſe quàm dulciſſimos, nec dignos ſolùm, qui à ſe amantiſſimo ipſius ſponſo ſummâ lætitiâ, certiſque & veris ſummæ ſuæ in ipſam benevolentiæ indiciis excipiantur, ſed etiam quos ille aſſiduè animo repetat ac ruminetur, ut ſemperin illis ſe oblectet.

Sponſa.

10. EGo dilecto meo, & ad me converſio ejus.

11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12. Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruerit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi.

EXPLI-

EXPLICATIO.

10. *Ego dilecto meo, &c.* Sponsa dilectissimo sponso in amore respondens, se totam & quæ sua sunt omnia cum summa animi demissione ipsi committit. Ad Ecclesiam est conversio Divini sponsi, ut enim ait præclarè S. Leo Serm. 4. de Nativit. *Semper quidem diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas Divina consuluit, & plurima providentiæ suæ munera omnibus retrò seculis clementer impertiit; sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit: ut Verbum illud coæternum & coæquale Genitori in unitatem Deitatis suæ, nostræ naturam humilitatis assumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur.* Ecclesia vicissim Divino sponso suo adhæret, Christo dilecto suo adhærer, ad ipsumque se convertit, non autem ad delicias, opésque terrenas; itaque eo solo contenta est usurpans illud Ps. 72. v. 25. *Quid enim mihi est in cœlo, & à te,* id est, præter te, *quid volui super terram? Defecit,* id est, contabuit, *caro mea & cor meum* præ desiderio tui, *Deus cordis mei* id est, cui soli cor meum tribuit cultum & adorationem; cùm mundani homines singuli deos suos habeant, quos venerentur? Quemadmodum de gulæ deditis hominibus dixit Paulus Philip. 3. v. 19. *quorum Deus venter est.*

11. *Veni dilecte mi, &c,* Invitat sponsa sponsum ad loca à tumultibus remota, ut secum res rusticas vel fructûs causâ, vel delectationis invisat, ibíque amorem suum experiatur, potiatúrque omni bonorum suorum gazâ, ipsi de industria servatâ. En hujus & duorum sequentium versuum sensus juxta sonum litteræ, quo adumbratur sancta mater Ecclesia invitans Christum ad solitudinem cordis sui, ut ibi tempestivè, hoc est, opportunè & magna cum vigilantia simul collustret secum vineam fidelium, num flores bonorum desideriorum fructus edant actionum sanctarum? Num magna sit spes, ut esse debet, majoris indies progressionis? Num crescant amor Dei & proximi, quæ sunt duo sponsæ ubera, quibus suavissimè pascitur sponsus? An latè fundatur sanctæ conversationis odor? Etenim, ait sponsa, tua dona sunt omnia bona mea, quæ nunc facio, vel quæ olim feci, & omnia refero ad tui laudem, & gloriam, cujus gratiâ sunt facta.

13. *Mandragoræ.* Heb. דודאים, quod vocabulum designare ramos demonstrat Ravius ex hoc loco collocttorum. Jer. 24. v. 1. & 2. Itaque

que rami dediſſe odorem ſuum dicuntur cùm protruſerunt flores vel fructus odoratos.

In portis noſtris omnia poma. Quaſi dicat, non longiùs proficiſcendum eſt, ut fructus inveniantur. Inter alias amatorias paſtorum delicias, inter ardentis deſiderii ſigna clariora, illud unum erat, ſi poma dilectis ſuis aſſervarent. Virgil. Eccl. 1.

Mirabar quid mœſta Deos Amarylli vocares,
Cui pendere ſua patereris ab arbore poma.
Tityrus hinc aberat.

Id eſt, mirabar etiam cui ſervarentur poma in arbore, neque legerentur; nunc novi amanti Tityro cuſtodiri. Hinc fax Tibullo lib. 1. eleg. 5.

Huc veniet Meſſala meus, cui dulcia poma
Delia ſelectis detrahet arboribus.

Polyphemus ad Galatheam apud Ovid. 13. Metam.

———Sunt poma gravantia ramos,
Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvæ,
Sunt & purpureæ, tibi has ſervamus, & illas.

Vetera. Alludit ordinario uſui, quo ſemper alieni temporis aut flores, aut poma pluris fiunt.

CAPUT OCTAVUM.

Pergit ſponſa variis teſtari locutionibus quanto-pere optet ſuo frui ſponſo.

1. QUis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat?

2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

3. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

EXPLI-

EXPLICATIO.

1. *Quis mihi det, &c.* Sensus est, ô utinam mihi modò esses, tanquam fraterculus adhuc sugens ubera matris meæ, & mihi liceret te quocunque loci obvium osculari sine contemtu? Sic sancta Dei Ecclesia libertatem filiorum Dei appetens quàm ardentissimè, simúlque vinculis carnis exolvi, & esse cum Christo, non amplius invitat ad amplexus, ut sub umbris occultatum, aut quasi præ pudore velatum sponsum, sed omni suspicionis timore sublato palàm & coram Angelis Dei, castissimè ut fratrem amplecti, oscularíque percupit.

2. *Apprehendam, &c.* Quasi dicat, nunc verò deducam te in domum matris meæ, ut tuo ex jussu ministrabo tibi vinum aromaticum, & mustum è punicis meis. Nunc, inquit sancta mater Ecclesia, quamdiu sum in hoc seculo, deducam te in secretum cubiculum mentis meæ per gratiam regeneratæ, ut tres Patres apud Theodoretum interpretantur; ibique hauriam ex te rectam rationem te amandi perfectè, amoribúsque tuis inserviendi, vicissimque tibi amorem meum quasi præstantissimi vini & jucundissimæ potionis poculum propinabo.

3. *Læva ejus, &c.* Id est, ibidem sponsus amantissimus me sinu dormientem, complexúque recipiet. Ibidem, ait sancta Ecclesia, caput mentis tollens super sinistram manum vitæ præsentis, & propinquam jamjam æternæ vitæ dextram arripiens, quasi inter sponsi amplexus placidissimè conquiescam.

Sponsus.

4. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

EXPLICATIO.

Quæ in hoc versu sunt observanda quoad sensum literalem, vide suprà cap. 2. v. 7. illud duntaxat addendum est hoc loco ad hujus versûs cum præcedentibus connexionem, quòd cœlestis sponsus adjuret omnes creaturas, ne sponsam à spirituali somno ullâ vitæ mortalis illecebrâ audeant excitare.

Sodales

Sodales ſponſæ.

5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?

EXPLICATIO.

Quæ eſt iſta, &c. Mirantur ſodales quòd ſponſa præ novo quodam amoris æſtu ſuper dilectum ſuum ſeipſam quietæ dulciſſimâ declinans, celerrimè è deſerto aſcendat Jeroſolymam. Mirantur cœlites quòd Eccleſia ex hujus mundi deſerto, ubi bonorum omnium eſt penuria, ad cœleſtia gaudia mente & cogitationibus tendat tam illuſtri ornatu virtutum cum divini ſponſi voluntate in omnibus concors; nec ab ipſius beneplacito in ulla penitùs re diſſentiens.

Sponſa alloquitur Sponſum.

Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

6. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

EXPLICATIO.

Sub arbore, &c. Initium ſui in ſponſum amoris memorat ſponſa. Primò ait ſe conciliaſſe ſibi ſponſum, & quaſi excitaſſe ad amorem ſuum ſub ipſa arboris umbra, ubi ipſum concepit & peperit mater ſua. Eccleſia ſibi primò conciliavit Chriſti amorem per fidem in ipſius Incarnationem, in qua ipſum

ſum concepit & peperit beata, ſempérque Virgo Maria, corrupta eſt ac violata mater ipſius Synagoga per peccatum quod admiſit ipſum incarnatum recipere nolens.

6. Pone me, &c. Quaſi dicat, Nunc verò enixè te rogo, amantiſſime & amatiſſime ſponſe, ut me inter cor & brachium veluti ſignaculum firmum ac minimè mutabile conſtitutam arctiſſimè complectaris, atque deinceps ſemper in corde & oculis habeas. Hoc poſtulat Eccleſia ad altiſſimam cum divino ſuo ſponſo conjunctionem aſpirans.

Quia fortis eſt, &c. Id eſt, quia tanta eſt mei in te amoris flamma, ut ejus violentia inexpugnabiles mortis infernique vires ſuperet; tam ardens eſt meus in te amor, ut ejus ignis inflammatiſſimus nec vexationum afflictionúmque aquis extingui, nec ullâ conſolationum aut facultatum quantâvis copiâ eripi, vel obrui poſſit. Eccleſiæ charitas *merito dicta eſt*, ut loquitur Aug. in Ep. 29. ad Hieronymum, *fortis ſicut mors, ſive quia nemo eam vincit, ſicut mortem, ſive quia in hac vita uſque ad mortem eſt menſura charitatis, ſicut Dominus ait: Majorem charitatem hac nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ſive potiùs, quia ſicut mors animam avellit à ſenſibus carnis, ſic charitas à concupiſcentiis carnalibus.* Charitatis ardore ſuccenſa ſancta Dei Eccleſia æmulatur, id eſt, ardenter exoptat ſemper chariſmata meliora æmulatione, id eſt, zelo, Dei, quæ æmulatio eſt ſicut infernus, quia quemadmodum in inferno *ſapiens ignis*, ut ait Minutius Felix in Octavio, *membra urit & reficit, carpit & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt*; Sic flammeum æmulationis, quæ ex charitate Dei eſt, ingenium, non damnis paſcitur ardentium, ſed vitali animorum nutritur incendio. Sacri hujus incendii flagrantiſſimam flammam in Eccleſia orthodoxa nullæ affiictionum & tribulationum aquæ, nulli voluptatum creaturarum torrentes extinguere aut obruere poſſunt. *Ita eſt*, inquit Bernardus Serm. 79. in Cantica, *venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in* Eccleſiam, *& non cecidit, eò quòd fundata eſſet ſupra petram: petra autem eſt Chriſtus. Itaque nec verboſitate Philoſophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis perſecutorum potuit, aut poterit aliquando ſeparari à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Non poſſum hîc prætermittere aurea Petri Bleſenſis verba, queis vim amoris deſcribit in Ep. 34. ad Petrum Minetum conſobrinum ſuum Petragoricenſem Epiſcopum. *Fortis*, inquit, *eſt ut mors dilectio; cùm enim compagem membrorum, animæque & corporis fœdus amicabile mors abrumpat: dilectio è contrario diverſas voluntates conflat in unam & in glutine charitatis diverſa-*

rum animarum consolidat unionem. Dilectio absentiæ damna non sentit : cumque diuturnitate temporum pleraque soleant infirmari, dilectio & temporis tractu, & locali distantiâ convalescit.

Sponsus.

8. SOror nostra parva, & ubera non habet : quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est ?

9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

EXPLICATIO.

8. *Soror nostra, &c.* Quasi dicat, O amantissima sponsa, placet mihi tuum arctissimæ mecum conjunctionis desiderium, sed nisi illud differam, sororculæ nostræ quomodo providebimus in die, quo sermo fiet de ea nuptui tradenda ? Placet Christo cœlestis patriæ desiderium in desponsata sibi Ecclesia, quo cupit dissolvi & esse cum ipso, sed illud ab eodem divino sponso differtur, ut provideat ipsa saluti infirmæ multitudinis suo regimini commissæ, & procuret ei ornatum necessarium ad sui cum eodem Christo conjunctionem nuptialem.

9. *Si murus est, &c.* Dicit sponsus providendum esse ut sorori tenellæ abundè suppetant ornamenta nuptiis necessaria quæ describit sub duplici similitudine ; una desumitur à muris, qui ut magis decorentur, aut stabiliantur, turres eis, atque pinnæ addi solent egregiâ aliquâ picturâ exornatæ : altera desumitur à januæ foribus, quæ vestiri solent tabulis cedrinis. Providendum est, inquit Christus, infirmæ multitudini, ut fortis in fide crescat in charitate cæterisque veris & Christianis virtutibus, quibus decorata & munita digna sit quæ copuletur sibi virginum sponso.

Sponsa.

10. EGo murus : & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11. Vi-

11. Vinea fuit Pacifico in Ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12. Vinea mea coram me est. Mille tui Pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

EXPLICATIO.

10. *Ego murus, &c.* Q. d. Animum induvi facere quod jubes, nempe summo studio, sicut velle te novi, tenellæ sorori nostræ de idoneo nuptiis ornatu providebo; ex quo enim mirum in modum placere cœpi sponso, & quasi intimam cum ipso inii conjunctionem, evasi instar muri speciosissimis ac munitissimis turribus ornati, proindéque non parùm roboris ac decoris ex me ad sororculam nostram accedere potest. Asserit Ecclesia se prorsus acquiescere in voluntate divini sponsi, quæ cœlestis patriæ desiderium, quo ipsa exardescit, explere differt propter salutem infirmæ multitudinis; sentit quippe Ecclesia, ex quo indultâ sibi misericorditer gratiâ aspirare & anhelare cœpit ad arctissimam & intimam, quæ in patria est, cum cœlesti sponso unionem, se munitissimam pariter & ornatissimam evasisse adinstar muri inexpugnabilis turribus paribus apprimè speciosis ornati, ideóque se posse fortitudine suâ, & geminâ, quâ fervet, Dei & proximi dilectione non parùm virium & ornamenti conferre infirmæ multitudini, ut cœlestibus nuptiis congruenter ornata ad eas admittatur aliquando.

11. *Vinea*, Id est, dives agrorum substantia; ex usu enim Scripturæ hîc *vinea* usurpatur pro omnibus latifundiis, ideò cùm uni vineæ, imò & pluribus simul junctis vineis unus sufficiat custos, hæc vinea multis custodibus dicitur commendata, quasi vix omnes latifundiis tam amplis custodiendis sufficerent.

Pacifico, Id est, Salomoni; amat enim Vulgatus interpres nomina propria per eorum interpretationem explicare, quæ proinde interpretatio, ne pariat obscuritatem, scribenda est principe literâ majusculâ, ut advertimus in Commentario nostro in Mat. 12. v. 4. Sic statim locum appellarum *Baal-hamon* per Habentem populos explicavit. Hunc locum putant multi fuisse plagam agri Solymitani, quia Jerusalem dicitur Thren. 1. v. 1. *Civitas plena populo, domina gentium, princeps provinciarum.*

Vir affert, &c. Hebraicè & Græcè *afferet*. Sensus est idem ac

ſi dicat, Si Salomon per ſe, conductóſque operarios ampliſſima latifundia ſua curare nollet, ſed ea vellet aliis elocare, à quovis locationis pretium ipſi offerretur quàm copioſiſſimum.

Mille argenteos. Id eſt, ingentem pecuniæ ſummam, phraſi notiſſimâ in ſacro textu.

12. *Vinea mea coram me eſt.* Q. d. Sit quantumvis dives ſponſus meus, ſint ipſi quantumvis uberrima prædia; ego illa flocci pendo præ ipſo ſponſo, cujus beneplacitum mihi ſemper præſens ob oculos mentis verſatur; ipſe, ipſe mihi vinea, ipſe mihi prædium. Sub metaphora ſponſæ maximas ſponſi divitias reſpuentis, dummodò placeat ſponſo, ipſóque frui poſſit, inducitur Eccleſia, Q. d. Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo; verùm ex omnibus & immenſis divitiis ejus quæ ſunt ſive in cœlo, ſive in terra, nihil præter ipſum expeto, ipſo ſolo frui cupio, cujus vultum deſiderat univerſa terra, & cujus voluntati ſervire, regnare eſt. Huc facit iſtud Plutarchi in Problem. Rom. num. 7. *Quid eſt quòd vir ab uxore, uxor à viro dono aliquid accipere prohibetur? An quòd viliſſimum benevolentiæ ſignum donatio ſit: dant enim & alieni: idcircò hoc dandi lenocinium ex matrimonio ſuſtulerunt, ut non mercenarium, ſed gratuitum, & ſpontaneum ſit totum hoc amare, & redamari? An quòd ab aliis accipiendo, corruptæ alienos admittunt: decorum viſum eſt gratis ſuos diligere?*

Mille tui Pacifici. Genitivi casûs hæc ſunt, & *Pacifici*, id eſt, Salomonis, per appoſitionem Poëtis uſitatiſſimam ponitur ad *tui*. Senſus hujus hemiſtichii eſt: Mille argenteos, quos reddere vinea poteſt, tibi ſerva, ô Rex Salomon, & ducentos alios, quos & colendæ vineæ, & cuſtodiendæ ſoles impendere, operariis conductis retine ſolvendos: ego enim, ut dixi, te uno, ſponſe dulciſſime, ſatis dives ſum. Satis hinc conſtat quod ſuprà dixi, cuſtodes hîc non eſſe eos, quibus vinea locata, ſed qui vineam colunt; his enim ſolvitur labor: illi ſolvunt reditus. Mentem ſponſæ illuſtrat quod narrat Ælianus lib. 12. Hiſt. Variæ c. 1. Aſpaſiam remiſiſſe Cyro juniori pecunias cum muneribus aliis omnibus ad ſe ab ipſo miſſis, & ſubdidiſſe: *Tibi quidem hæc uſui eſſe poſſunt, qui tantam hominum alis multitudinem, non mihi, qui te unum, ſicut ad amorem, ſic etiam ad ornatum habeo, & ſatis habeo.* Sic amat Eccleſia ſponſum ſuum cœleſtem, ſed ipſum ſolum amat, gratis amat, nec ab illo aliud petit præmium præter ipſum; *Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea ſervire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipſum à quo vult accipere. Huic fornicationi contrarius eſt amor caſtus. Quis eſt amor Caſtus? Amat jam anima*

ſpon-

ſponſum ſuum. Quid ab illo quærit, à ſponſo ſuo quem diligit? Fortè quomodo ſibi eligunt homines, aut generos, aut ſponſos fœminæ eligunt? Fortè divitias & aurum ejus amat, & fundos, & argentum, & pecuniam, & equos, & familiam, & cætera? Abſit! Iſte ipſum ſolum amat, gratis amat, quia in ipſo habet omnia, quia per ipſum facta ſunt omnia. Aug. in Pſalm. 72.

Sponſus.

13. QUæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.

EXPLICATIO.

13. *Quæ habitas, &c.* Q. d. O dulciſſima ſponſa hortorum incola, ſodales noſtri hîc nos audiunt; optarem eſſe alicubi tecum ab omnibus ſejunctus, ut dulciſſimam ſummi tui in me amantiſſimum tuum ſponſum amoris indicem vocem liberè me unum audire faceres. Eccleſia dicitur habitare in hortis, quia ad veritatem intimam exculta plantaria virtutum ſervat. Hanc hortatur ſponſus cœleſtis ut ſummam ſuam in ipſum charitatem & devotionem non in clamoſa voce, ſed in lachrymis & intentione cordis ſoli ſcrutatori cordium Deo notis teſtetur. Hoc autem adimplet Eccleſia etiam in publicis orationibus ſuis, quia in his ſoli Deo animarum ſponſo placere cupit; ut enim ait B. Chryſoſt. Hom. 19. in Mat. *Qui non ideò facit, ut ab hominibus videatur, etſi coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus feciſſe videtur. Nam qui facit aliquid propter Deum, neminem videt in corde ſuo præter Deum, propter quem facit: ſicut artifex eum ſemper habet præ oculis, qui ſibi opus faciendum commiſit.*

Sponſa.

14. FUge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnulóque cervorum ſuper montes aromatum.

EXPLICATIO.

14. *Fuge &c.* Sponſa annuens petitioni ſponſi ait: Faceſſe igitur hinc ocyùs, dilecte mi, tantâ celeritate, ut haud abſimilis videaris capreæ, hinnulóque cervorum ſupra montes aromatum

aromatum currentibus. Vide quæ diximus ſuprà cap. 2. v. 16. Proripe te, ait Eccleſia ſponſo ſuo Chriſto, & me tecum rape quantâ potes celeritate in ſolitudinem, ut ſcilicet etiam mediis in urbibus & populis ſoli Deo placere appetam, & conflatas cum concupiſcentiis ſocietates omninò reſcindam. Verè enim ſolitarius eſt, ut ſcribit Præclarè B. Clemens Alexandrinus Preſbyter. lib. 7. Strom. *Qui in civitate habitans contemnit ea quæ in civitate ſunt, & quæ alii mirantur, vivitque in civitate tanquam in ſolitudine, ut non locus eum cogat, ſed liberum eligendi arbitrium eum juſtum oſtendat.* Arnobius junior explicans illud Pſalmi 54. *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*, ait; *Si fieri poteſt, accipiat homo pennas animi in Spiritu-ſancto, ſicut columbæ deſcendentis de cœlo, & evolet fugiens inimicorum manus; longè vadat, fugiat à peccato, & quaſi in ſolitudine poſitus, ſic nullis curis involvatur humanis. Tunc enim expectat Deum, qui ſalvat à puſillanimitate ſpiritûs, & tempeſtate*, quique, ut Auguſtini in Pſalm. 33. verbis utar, *habitat lucem inacceſſibilem viribus noſtris, non muneribus ſuis. Quia non ad eam poteſt accedere*, ut loquitur idem S. Doctor lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 7. *niſi cui Deus ipſe donaverit ut accedat.* Hanc expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ *non ſecundum quid*, verba ſunt B. Chryſoſtomi hom. 5. in ep. ad Titum, *ſed abſolutè & ſine comparatione ac naturâ magni Dei*, animarum ſponſi, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, juxta præceptum Apoſtoli Tit. 2. v. 12. *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo*, hoc eſt, interprete Drogone Cardinali in libro de Creatione & Redemtione hominis tom. 2. Bibl. PP. *Sobriè quantùm ad nos, juſtè quantùm ad proximos, piè ad Deum.* Ut enim præclarè Petrus Bleſenſis in epiſt. 132. ad Ernaldum ex Priore Eccleſiæ de Monaſteriolo, ſeu S. Launomari de Monaſteriis in territorio Perticenſi Diœceſis Carnotenſis factum ad annum 1202. S. Launomari Bleſenſis Abbatem, *Ad ſobrietatem rerum temporalium moderatior uſus pertinet, neceſſitati ſatisfaciens, non ſerviens voluptati. Juſtitia verò naturalis eſt, ut non velis aliis facere, quod tibi fieri nolis: & aliis facias, quod tibi fieri velis. Pietas* autem *teſtimonio* B. *Auguſtini conſiſtit in fide, & ſpe, & charitate*, quâ diligitur ſuper omnia caſtus animarum ſponſus, qui cœleſtium nos nuptiarum participes faciat. Amen.

FINIS.